Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

KW 381 E 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

~~XV. A. 70~~
381
E 19

HISTORIA VITÆ ET OBITUS JOHANNIS LUDOVICI FABRICII,

Sanctæ Memoriæ Theologi, & Conſultoris Eccleſiaſtici Archipalatini Celeberrimi;

SCRIPTA

Ad Illuſtrem & Generoſiſſimum Dominum,

D. FRIDERICUM BARONEM DE STEIN,

Dynaſtam in Lohnſtein & Caſtelen, aliquot Electoribus Palatinis Sereniſſimis à Conſiliis intimis, & Curiæ Eccleſiaſticæ Præſidem;

Authore

JOH. HENRICO HEIDEGGERO.

Koninklijke Bibliotheek 's Hage.



TIGURI.
Typis DAVIDIS GESSNERI,
MDCXCVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

AD

Celeberrimum & incomparabilem,

HISTORIÆ VITÆ ET OBITUS

Τȣ̃ πάνυ, καὶ νῦν ἐν ἁγίοις

JOH. LUDOVICI FABRITII,

Auctorem.

HEIDEGGERE, *decus noſtrum! Seniúmne vigorem*
Ingenii & calami non hebetat, ſed alit?
Proh Superi! Lauros ſuperant, quas ſternis Achati
Cupreſſi, Cedris præripiuntq; decus.
Mauſoli Conjux tumulum conſtruxit inanem,
Quem dudum tempus dente vorace tulit.
Æra ſtupenda jacent magnis erecta Tyrannis,
Vaſta etiam moles Hadria roſa cadet.
Hæc Monimenta Viro, ſimili Tibi, ſtructa Tropæis
Heroum innumeris ſunt potiora modis;
Duratura, ſuis donec vis ignea Phœbi
Conflagret flammis, Aſtra nec ulla micent.
FABRITIUS *planè eſt ex omni parte beatus,*
Cui datus eſt tantus præco: nec immeritò.

Quos Latii flores, ſummi ſuaviſſima Tempe
Eloquii, rerum pondera quanta vehis!
Myrrha, dolens funus, qualem diffundit odorem,
Humanis gratum naribus, atque DEI!
Diſpeream, ſi quid Muſis ego dignius unquam,
Terſius aut legi, quódque magis rapiat.
Norma piæ vitæ heic: Studiorum regula ſcita,
Cura gregis DOMINI, *ſummus amor Patriæ.*
Enthea mens, feſtiva, potens, diſcrimine nullo
Fracta, ſibi ſimilis ſemper, amansq́ʒ DEI.
Mens penetrans, Argíque acies in corpore feſſo,
Cui Themidis latè Templa ſerena patent.
Mens junco veſtita fuit, ſed fortibus actis
Emicuit, dotum mira Theatra ferens.
Sed, quod præcipuum, præclaro Schemate ab iſto,
Qui cupis æternùm vivere, diſce mori.

Sic haud comparabilis Biographiæ, & Leſſus præſtantiſſimi Auctori famigeratiſſimo, cum voto μακροχρονίας καὶ εὐεξίας perpetuæ ardentiſſimo, deproperante plectro accinit

BEATUS HOLZHALBIUS,
Expræfectus Comitatus Kyburgenſis, &
Reipublicæ Tigurinæ Senator.

MOrte perire omnia, nequicquam, *Illuſtris & Generoſiſſime* BARO, DOMINE *Gratioſiſſime*, Gentilium quorundam, & impiorum, ad amuſſim ſeculi hujus factorum, ſtulta credulitate receptum eſt. Nam ut de malis, qui per infanda turpem vitam exegerunt, & quos ſic æternùm perire, ut æternis etiam, quæſitiſſimo cum animæ & corporis ſenſu, ſuppliciis diſcrucientur, vera religio, & recta ratio dictat, nihil dicam; bonorum certè morte non vita perit, ſed ſola mortalitas finitur. Manet enim & vivit apud Deum eorum ſpiritus, conſummata omnibus numeris lætitia & beatudine perfruens. Manet corpus, fragile illud ſpiritus domicilium, ſed ſeminatum, & in agrum Dei, ad proferendam beatæ im̃ortalitatis & cœleſtis gloriæ pulcherrimam ſementim, ſparſum. Manet inſuper & ſpirat, quicquid ex piis & bonis, illis cumprimis, qui clarum ſibi per virtutem & præclara facinora nomen fecerunt, amavimus, quicquid admirati ſumus, in memoria præſentium & poſteritatis; illud ingenium, in perennibus monumentis; illa officia, in perſonis eorum, quibus profuerunt, quibus placuerunt, qui æmulabuntur. Manet denique, & perſeveranter durat ſuperſtitum amor & veneratio, quæ ubi ſemel ex veris honeſtisque cauſis coaluit, obitu amicorum capitum adeò non extinguitur, ut potiùs gliſcat magis, & inter alimenta ſua ipſam defuncti memoriam, ipſam abſentiam numeret. Hoc ego cùm alias, tum non ita pridem ingenti quidem,

Morte non pereunt omnia.

Inprimis non amor & memoria ſuperſtitum.

 ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Fabritii obitu authoris laudationis ejus amor non refrixit.

ſed eodem triſtiſſimo documento expertus ſum, audito fato IOH. LUDOVICI FABRITII, Theologi & Conſultoris ſacri Archipalatini quinque ſupra triginta annos integros, quem mihi naſcendi ſors popularem, ſtudiorum æmulatio commilitonem, morum quædam congruentia amicum alterum ſe, munus publicum quandoque collegam, intricatiora ſtudiorum Oedipum, & commercium de literis & Eccleſia, ejusque neceſſitatibus inde à juventute ad ſenectutem uſque religiosè excultum, præſidium ſolatiúmque dederunt. Cujus quidem Viri ſummi & incomparabilis, quem Chriſtianum ætatis noſtræ Platonem præfiſcine dixero, & in quo, quæ ſingula decus conciliant, univerſa conſpeximus, exceſſu tantum abeſt, ut amor meus refrixerit, ut potiùs judicio & recordatione virtutis atque amoris ejus, quo erga me, velut inclinante aſtro, ferebatur, invaluerit magis. Quæ cauſa

Ille cauſa eſt monumenti poſthumi eidem erigendi.

eſt, quòd temperare, quin monumentum aliquod ei defuncto ſuperſtes erigerem, non potui; licet ad aures meas pervenerit, quòd laudationis poſthumæ officium brevì morituro oblatum, ceu vanum & caducum, verecundè, & æternis jam cœleſtibúsque immerſus totus, repudiaverit, niſi quatenus illud ad laudem gratiæ Dei Optimi Maximi, & utilitatis Eccleſiæ incrementum nonnihil facere videbitur. Abſit igitur, ut impiam & ineptam Viri, optimè meriti licet, ἀποθέωσιν inſtituam, vel in laudando eo modum & veritatem ſic egrediar, ut ornamenta ejus cuncta non ad principium & ſcaturiginem ſuam, & uſum Eccleſiæ, cui cuncta dona Dei, ne quis in hominibus glorietur, inſerviunt, unicè referam. Neque ego hic genas viri, vel oculos, vel ora, quæ gerebat vivus; ſed effigiem ingenii, ſed præclaras animi dotes, & pulcherrima facinora, quibus Eccleſiam & Rempublicam Chriſtianam, ceu φωςὴρ, genuinum lumen & columen ejusdem, nec non *κοινὸν ἀγαθὸν Bonum Commune*, quale ἄνδρα ἀγαθὸν *virum bonum* eſſe, præclarè veteres dixerunt, exornavit, juxta temporum ordinem diſpoſita, exequar. Nam inciſa quidem

dem ſaxis ſimulachra muta ſunt & exanima, & uni, quem ornant, tumulo affixa: Statuas quoque & barbarici operis Mauſolæa, ſaxo, ære vel marmore ſtructa monumenta ætas ſenſim abolet, inimica ſæpe vel ignara manus truncat, dejicit, evertit, aut incurioſa veterum poſteritas, mutato detortóque in contemptum, & quandoque in odium judicio, pro ſepulchris aſpernatur. Quicquid autem libris committitur, ſecurum pariter ævi ac hoſtium, ætatem fert, ac iis, quorum res geſtas memorat, largitur, creſcitque ultra exempla fortunæ, merita laus & prædicatio virtutum. FABRITIUM ab oblivione ſua virtus & eruditio tutum facilè apud poſteritatem omnem præſtabit; neque claritudini ejus multum adeò commendatio noſtra aſtruet. Amicorum tamen munus eſt, non ignavo queſtu, qui plerunque affectum cæcum & impetum ſequitur, defunctum proſequi, vel muliebri fletu inexorabilis fati leges accuſare; ſed cùm corporis figura, vultus hominum ac ſpecies cum ipſis evaneſcant, formam mentis, quæ æterna eſt, & ſtudiorum animo complecti, & curare pro virili ſua, ne unquam è memoria hominum pereat, quæ è conſpectu oculorum ſemel abiit. qua ſola ratione, velut efficaci carmine, exultans ob jacturam viri tanti dolor & ægritudo compeſci ſopirique poteſt. Neque pietas hæc laudantis inſolens videri poteſt, quia magnorum & illuſtrium virorum vitam narrare poſteris, ac literis mandare, veteribus in uſu jam fuit, neque noſtra ætas, licet incurioſa ſuorum, hunc morem omnino neglexit; imò ſemper extiterunt, qui magnæ virtuti poſt obitum juſta perſolverent, neque idem in famam, quod in vitam, jus eſſe libitinæ paterentur. Nam ut de cæteris, quorum iniri numerus nequit, nihil commemorem, ſuperiorum etiam temporum Theologis Archipalatinis, qui docendo ad famam & dignationem pervenerunt, laudationis poſthumæ honorem habitum invenio. Quippe Zachariam *Urſinum* Franciſcus Iunius, & Quirinus Reuterus; Danielem *Toſſanum* Paulus & Simon Stenius; Quirinum

Uſitatus mos laudationis poſthumæ;

Theologorum etiam Archipalatinorum.

num *Reuterum* idem Simon Stenius: Bartholomæum *Coppenium* Balthaſſar Baumbachius: Franciſcum *Junium* ipſemet Franciſcus Iunius, de ſe & rebus ſuis diſſerens, & Gomarus: Davidem *Paræum* Philippus Paræus poſthumis laudibus & honoribus meritiſſimis proſecuti ſunt. Et fuerunt virtutis virorum tantorum præcones eorundem in opere Domini, quod eodem loco fervebat, conjuncti ſocii. Sed graſſans non ita pridem in Palatinatum univerſum rabies, & mox etiam in Templa, Acroateria, tecta, univerſámque urbem florentiſſimam, Academiæ Archipalatinæ ſedem, feralis incendii barbaries, FABRICII collegas & laborum ſocios, virtutis & operum ejus ſcriptores prædicatoréſque idoneos maximè futuros, alios, fidum inprimis ejuſdem Achatem, Fridericum *Miegium*, cujus, veri Muſarum & Charitum Delicii, ſacroſancta bonis omnibus memoria eſt, tetris carceribus maceratum, lenta tabe conſumpſit; alios diſperſit, nulla ut ex iis ſpes meritiſſimi præconii affulgeat. Quamobrem ad exteros pietas illa & officium omne recidit. quos inter ego, vetere amicitia FABRICIO præ aliis cognitus connexúſque, memoriæ ejus quaſi debitum munus, aſpirante Dei O. M. gratia, exſolvam. impar licet argumento, ad quod ſummam, ſed ſolam voluntatem & pietatem erga amicum mihi chariſſimum, allaturus, futurúſque ſola ejus profeſſione laudatus, vel excuſatus, Viri optimi, & de Eccleſia atque literis meritiſſimi, vitam mortemque enarrare, & ſumma ſaltem rerum faſtigia delibare aggrediar.

Laudatio Fabritii ab exoticis ſuſcipi cur debuerit?

Natus eſt IOH. LUDOVICUS FABRICIUS Scaphuſii, Helvetiorum principali Cantone, die XXIX. Iulii, hora XII. antemeridiana, Anni Æræ Dionyſianæ milleſimi ſexcenteſimi triceſimi ſecundi; Parentibus Palatinis, *Johanne Fabricio*, & *Eva Fiſchera*. Annum FABRICII natalem atrum quodammodo nefaſtúmque reddidit mors non tantùm GUSTAPHI ADOLPHI, Suecorum Regis, qui belli fulmen, hoſtiumque terror, & Proteſtantium, quorum componendis fluctibus non ita pridem, tanquam ſaluta-

Annus Fabricii natalis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

re ſidus, tempeſtivus affulſerat, ingens præſidium, tota Germania & Bohemia victoriis ſuis peragrata, ad Lutzam decretoria pugna victor VI. Sept. MDCXXXII. occubuit; nec non illius Sapientiæ ocelli, MAURITII Haſſiæ Landgravii; ſed inprimis FRIDERICI V. Electoris Palatini, Bohemiæ Regis, qui triſte verſatilis, multíſque machinis laceſſentis fortunæ documentum, poſtquam eodem anno à Guſtapho Adolpho pro Rege publicè adgnitus ſuſceptúſque eſt, mox die XIX. Moguntiæ exercitam mortalitatem explevit, præbuit. Sed idem annus, adeò Palatinatui funeſtus, hactenus eidem lætabilis quodammodo extitit, quòd benigno ſidere, & felici partu Fabritium, illam non galea caput, non ferro latus, non dexteram haſta, ſed Divina prope mente, & magno in teneris artubus ſpiritu armatam Pallada, protulit, quem latentia fata eidem ſummum decus & dulce præſidium deſtinaverant. Adeò ſcitè Poëtarum princeps homines in communi vita cum foliis, quorum pars naſcitur, dum alia deficiens exareſcit, comparat. Felicitas porro natalis ſoli neque ad invidiam venditari, neque ſi detur, faſtidiri & conculcari debet. Nam ſi non omnino ut caloris ac frigoris, ſic ingeniorum incrementa regionibus natura diſtinxit, at multum trahimus à locis, quibus immoramur; & quod Cœli temperamentum non poteſt, id cultus moréſque, & inſtituta diverſa in locis diverſorum efficiunt. Quanquam noſter ita factus videtur, ut ignobili loco nobilitatem dare facilè potuerit, & quamcunque terram naſcens ſalutaſſet, non defuiſſet ſibi vel Thracas inter Orpheus, vel in Scythis Anacharſis. Sed ſortitus tamen eſt, de qua ſibi gratulari potuit, patriam, *Scaphuſium*, urbem Helvetiæ principalem, ad Rhenum verſus ſylvam Herciniam ſitam, & urbis Tigurinæ finitimæ agro, cui ponte conjungitur, terminatam, quæ Fabricio naſcenti cunas apparavit, teneróſque ejus artus molli gremio excepit; atque id ſibi amplum glorioſumque meritò cenſet. De urbis illius origine, incrementis, amœnitate, ſalubri-

Solum ejus natale.

Urbis ejus

praconium. lubritate & clementia Cœli, ædificiorum nitore, vicino Rheni cataracta, Euripum, & Scyllæ voracis latratus referente; quo de ſic Henricus Glareanus in Panegyrico Helvetiæ eleganter cecinit:

—— Hic unda alti de vertice montis
Lapſa ruit præceps, ſterilémque eructat arenam
In circum, ſurſúmque volans protendere nubem,
Aut nebulæ ſpeciem, & Cœlum pulſaſſe videtur;

nec non de ſoli fertilitate, piſcium exuberantia, generoſo & defœcato flore Liberi, incolarum humanitate & morum ſuavitate, aliiſque ejuſmodi promiſcuis nihil dicam. Illud enim quantivis eſt, quòd Supremus bonorum diribitor, qui ὁρίσας τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας *definitor* metatórque *terminorum habitationis* hominum, unicuique loco bonitatis ſuæ præcipuum aliquod veſtigium imprimit; Scaphuſio, perinde ut aliis ejuſdem felicitatis conſortibus, illud impertitus eſt, quod omnium optimum, atque unum illud neceſſarium eſt, doctrinæ cœleſtis & ſalutiferæ eximiam puritatem. Quod cœlitus delapſum Palladium primi Eccleſiæ illius Reformatores, viri optimi, & ob incredibilem pietatem & eruditionem ſacram æterna memoria digniſſimi, Sebaſtianus Wagnerus, cognomento Hofmeiſterus, & Eraſmus Ritterus, Huldrici Zuinglii præconio exciti, venerabundi promptique ſuſceperunt, & fidei ſuæ commiſſis animabus enixiſſimo ſtudio, atque Apoſtolico zelo ſic commendarunt, ut vix cœptam Tiguri Reformationem Scaphuſiana, primo velut pedatu, exceperit, & mox magnus ille Scaphuſianorum Deus, quod ingenti apud illos idolo nomen erat, exuſtus fuerit. Ex eo igitur tempore ad noſtrum uſque Deus prò ſingulari bonitate ſua urbem illam veritatis ſuæ ἑδραίωμα, & Eccleſiæ hoſpitium, virorum doctiſſimorum, nobilium juxta atque ignobilium, domicilium, gratiæ, pacis & libertatis perenne theatrum, incolarum & ſociorum delicium, denique exterorum aſylum eſſe voluit, juſſit; &, uti beneficia ſua amat & exornat, volet, jubebitque porrò, quamdiu bona

ſua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

ſua noſcent, & in ſancto inſtituto perſeverabunt. Tali ergo loco ſe ſatum, prognatum & educatum impenſiùs etiam gaviſus Fabritius eſt, cum animo ſuo reputans, hanc Deum Optimum & Benigniſſimum piis & chariſſimis parentibus, Pontificiorum, qui eo tempore patriam Palatinam diris modis infeſtaverant, rabiem horrentibus & fugientibus, Pellam velut, & aſylum è longinquo deſtinaſſe & oſtendiſſe. Pater ejus *Johannes Fabritius* Dirmſtenii, Palatinatus inferioris vico A. C. MDLXXV. natus, & ad miniſterium Eccleſiæ educatus atque promotus, inde ab A. MDCXCIX. uſque ad A. MDCXXX. variis in Palatinatu eodem Eccleſiis & Scholis fidelem operam navavit, & boni paſtoris numeros omnes implevit. Sed eadem, quæ Palatinatum tempeſtas jactavit, etiam Iohannem Fabricium corripuit, & exilium jam animo volutare compulit. Cujus rei conſcii, & ſimul virtutis & eruditionis ejus ſingularis fama commoti Scaphuſiani Scholarchæ eundem die XII. Ian. A. MDCXXX. ad vacantem Conrectoris ſcholæ ſuæ ſpartam honorificè vocarunt. quam ille læto animo amplexus tam egregiè exornavit, ut paucos poſt annos, die XVIII. Aprilis A. MDCXXXIV. eidem Rectoris Scholæ provincia, conſentientibus ſuffragiis, impoſita fuerit. quam ille Paſtoris Dirmſteinenſis functioni, ad quam paulò ante d. XXVII. Febr. A. MDCXXXIV. à Senatu Eccleſiaſtico Archipalatino vocatus fuerat, prætulit. In ſtatione illa, omnibus officii partibus gnaviter expletis, perſtitit ad mortem uſque, quam ille d. XI. Nov. A. MDCXXXVIII. hora V. matutina, decurrente anno ejus climacterico, piè in Domino oppetiit. Viri pietatem & eruditionem haud vulgarem, quotquot ejus meminerunt, meritis laudibus ferunt & decantant. Etiam Fabritius noſter familiari in ſermone retulit, eum adverſus Roſeæ Crucis Fratres calami telum ſtrinxiſſe. Cujus etiam ſectæ authorem fuiſſe Iungium, Mathematices Profeſſorem Hamburgenſem, Libertinum, inter pocula cum ſociis, ad mundo per ſpecioſum aliquod εὕρημα illudendnm, impiè & petulanter conſpirantem, & librum, cui titulus

Fuit Parentum Fabritii Pella.

Parens Fabritii Johannes Scaphuſii Rector laudatus.

Fratrum Roſeæ crucis origo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

eſt, *Fama Fratrum Roſeæ Crucis* cudentem, atque in vulgus ſpargentem; idem Fabritius noſter ex ore Secretarii Heidelbergenſis, fraudis illius conſcii, confirmavit. Mater Fabritii *Eva Fiſchera*, Georgii Fiſcheri, civis honeſti Wisloцenſis filia, in manum Iohannis Fabricii poſt mortem prioris conjugis, Frolichii Lauh, Paſtoris Freinshemenſis filiæ, A. MDCXVIII. convenit. matrona inprimis pia, quæ una cum familia poſt mortem mariti optimi ad annum uſque MDCXLIX. Scaphuſii liberaliter à Magiſtratu habita, hæſit; atque inde Heidelbergam ad Filium Seobaldum, qui ibidem Hiſtoriarum & Linguæ Græcæ Profeſſorem agere cœperat, ſe contulit. Avus paternus Fabritii Eccleſiæ Dirmſteinenſis Palatinæ Paſtor, & vicinarũ Inſpector, poſt mortem pientiſſimi Electoris FRIDERICI III. A. MDLXXV. obitam, inceſſente ſub Filio ejuſdem, Electoralis Dignitatis hærede, LUDOVICI IV. Principe optimo, ſed qui à Matre & Cognatis Principibus inſtitutus averſum à paterna religione animum geſſit, & ad Lutheri partes jam ante obitum Patris palam tranſiit, religionis mutatione, Palatinatum & cum eodem patriam deſerere, quàm Lutheranæ religionis miniſterium obire maluit. Cui fato optimi quique tum implicabantur. Ille ergo una cum familia in Naſſovienſem ditionem, atque inde à Iohanne Fontano, Arnhemii Paſtore, perſuaſus in Geldriam, mox Elbersfeldam, & Dilenburgam, diverſis ad munus Eccleſiarum adminiſtrandum vocationibus invitatus, migravit; donec, tranſeunte mox nubecula, & poſt mortem LUDOVICI, à Fratre CASIMIRO Palatinatus, Tutoris per leges ſuſcepto officio, Adminiſtratore, paternæ pietatis ex aſſe hærede, A. MDLXXXIII. reſtituta puriore religione ad Eccleſiam ſuam Dirmſteinenſem revocatus, ejuſdem miniſterio ad finem uſque vitæ integerrima fide defunctus eſt. His progenitoribus & genitoribus natus Fabritius infans poſtridie regenerationis ſuæ Sacramento in Eccleſiæ gremium cooptatus eſt, fidejuſſoribus Scaphuſianis civibus Spectatiſſimo, D. IOH. LUDOVICO SEILERO, urbis anteſignano

Mater Fabritii Eva Fiſchera.

Avus Fabritii.

Baptiſmus & fide juſſores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

no, & Præfecto, nec non nobiliſſima ſanctiſſimáque matrona, ELISABETHA RINCKIA, Conjuge viri & gente & mente nobiliſſimi, IOH. FRIDERICI IM THURN, filii Conſulis graviſſimi cognominis, & rara pietate, eruditione, zelo pro Dei gloria & patriæ ſalute incredibili ſupra multos alios eminentis, qui Fabritium, alter velut parens, tenerrimè dilexit, & non ſemel apud me vitam & ſtudia juvenis adhuc ejus, velut αἰὲν ἀριστεύοντος, & in nubibus aquilæ, vehementer prædicavit; quem etiam vivum Fabritius ſummo, uti planè merebatur, in pretio habuit. Neque enim etiam ego viri recordari, ſine tacita veneratione, poſſum. Manſit deinceps Fabritius in contubernio pa- *Educatio*
rentum, & ſexto ætatis anno domeſticos intra parietes *puerilis.*
primas literas Germanicas atque Latinas, & utcunque nare didicit. Cúmque etiam tum puer mirificam omnis diſciplinæ capacem, Muſásque ſpirantem præ ſe ferret indolem, nihil reliqui optimi parentes facere decreverant, tantam ut ſpem alerent, & ſolidam ad frugem perducerent.
Sed vix primos pueritiæ annos egreſſus ephebus paren- 1637.
tem optimum, unicam poſt Deum ſpem & ſolatium ſuum *Mors pa-*
amiſit, quem 11. Nov. A. MDCXXXVIII. fatis conceſſiſſe, *tris, & ſu-*
ſupra narrare occupavimus. Tum ergo pia, & pro ipſo, *perſtitis*
uti, qui ſuperſunt, idonei teſtes confirmant, ſupra modum *matris fide-*
ſolicita mater eum fidis magiſtris commiſit; ac primùm *lis pro eo* *cura.*
quidem Iacobo *Leubino* primæ claſſis magiſtro, ſub cujus 1638.
initiatione biennium cùm exegiſſet, in Chriſtophori *Ingol-* *Scholas tri-*
ſtetteri claſſem progreſſus, anno uno in eadem conſumpto, *viales* *frequentat.*
Henrici *Cochii*; ac demum altero añо Galli *Paræi* inſtitutio- 1640.
nem ſubiit. Ita quæ vitã urbs dederat, etiam literarũ ſemi- 1641.
na inſperſit; & quæ cunas ſtruxerat, eidem ludum litera- 1642.
riũ aperuit. Ubiq; ſupra ætatem, ſupra æquales contentio puerilium ejus ſtudiorum eminuit: & velut in agri ubere fœnus creditũ alibi cum decimo, alibi cum quadrageſimo, alibi cum centeſimo reſpondet, ita quæcunque ille acceperat veræ religionis, virtutis, doctrinæ ſemina, brevi feliciſſima fertilitate promicabant, & indies magis magíſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

convaleſcebant. adeò in ſtudiis proſequendis acre ingenium, incredibile ſtudium, ſummámque vigilantiam prodidit. Sed par tamen animo corpus eum non accepiſſe, varii & tenaces morbi, quibus per omne tempus adoleſcentiæ conflictatus eſt, non parum ſtudiorum ejus curſum ſufflaminantes, teſtati ſunt. Graviſſima enim ſcabies, auris lævæ dolores, pedum tumor, & puſulæ, morbi genus, à flava bile, vel tenui ſanguine, vel utroque ortum, Græcis ἐρυσίπελας dictum, adeò inclementer, uſque ad periculum vitæ, eum infeſtare cæperant, ut multum temporis curando, & per balnea, aliáque remedia à malis hiſce liberando afflicto corpori impendere neceſſe habuerit. dolens non parum, quòd à ſtudiis ſic diſtracto ſecundæ claſſis ſedilia biennium integrum terenda fuerint. Nam demum

Cum morbis variis conflictatur.

1644. autumno anni MDCXLIV. ſupremam in claſſem Rectoris Chriſtiani Rotfuchſii enixus eſt. Atque hic denuo langueſcere non parum vires corporis, & graviſſima valetudine ille vexari; oculorum inprimis imbecillitate, quam glaucoma & ſuffuſiones variæ intenderant, nec non pedum, quos exulceratio vehemens afflixerat. Advenerat forte Sanctogallo virgo, quæ ulceri pedum medicinam

1646. promiſerat. Sed in caſſum. Conclamatis remediis cæteris Thermarum Badenſium uſus levamentum attulit. Bada Schaphuſium reverſus Tigurum tranſiit. Ubi παρέργου ὁδὸν eximiis Theologis, Rodolpho Stuckio & Petro Tomanno; nec non Philologorum Phœnici, Ioh. Henrico Hottingero innoteſcere cœpit. quorum ſingularem humanitatem cum gravitate conjunctam, non ſemel impensè laudavit. Proximum tempus crebræ ejus excurſiones, ex patria itus, & in eandem reditus ſibi vendicaverant. Iam enim accurata inſtitutione & induſtria ſingulari iſthæc Muſæ proles ea ſtudiorum fundamenta tenerrima in ætate feliciter poſuerat, ſine quibus ad veræ ſapientiæ laudem de-

Thermarum uſu valetudinem curat, & Tiguro viſo Scaphuſium redit. Peregrinari incipit.

1647. cúſque aditus non eſt. Ante omnia igitur Coloniam Agrippinæ ad Fratrem Seobaldum, in urbe ea ſecretum munus obeuntem, inviſere inſtituens, Baſileam tranſiit, ubi aliquan-

Coloniam Agrippi-

quandiu commoratus nomen ſuum albo ſtudioſorum *nam proficiſcitur.* Academiæ, recepto more inſcribi curavit, & inſtitutioni publicæ operam dedit. Sed mora abrupta Coloniam iter promovit, ubi fratris Seobaldi, cujus ætas decem annos ætatem Ludovici ſuperaverat, lateri annum unum & trimeſtre hæſit, totúmque ſe ſtudiis, linguarum inprimis & artium, tradidit, imò abdidit. Et maturè ſatis ita animum *Meditationi aſſueſcit.* ad meditandum compoſuit, à corporis quippe, oculorum inprimis, viribus ſubinde deſertus, & quia mentis ejus robur contentioni illi cunctabundæ, quæ ad inveſtigandas perpendendáſque animo res requiritur, haud impar erat; ut tamen lectionem minimè negligendam putaret. Legit proin, neque perfunctoriè, vel animo peregrinan- *Lectioni authorum, Poetarum inprimis, incumbit.* te & aliis intento, authores Græcos & Latinos optimos, proſi ligatíque ſermonis, Homerum inprimis, Heſiodum, Iſocratem, Platonem, Plutarchum, Ciceronem, Virgilium, Horatium, Comicos, alios. Poëtas ſtudioſiùs legit, animi gratiâ, & quia levant ſœpenumero tœdium negotiorum, ſœpe etiam lectionis orationis ſolutæ. Et illa alternatio carminis proſæque diutiùs intentionem animi in ſtudiis detinet. Ad hoc ſcatent reconditis vocabulis & figuris omnis generis, quibus etiam communis ſermo plenus eſt. Sunt etiam in inventione ſublimes, feſtivi, acuti, acres, graves: in verbis ſuaves, lepidi, rapiunt in affectus omnes, prout cujuſque argumentum eſt. Atque inprimis tales Fabricio adlubeſcebant, ob ingenium, quod ipſi feſtivum obtigit, ſerium licet in gravibus. Geographiam *Philoſophiam coluit.* præ cæteris artibus diligenter excoluit, non pœnitendo in ea profectu. At nec cæteris Philoſophiæ partibus animum ſuum tenuiter immerſit. Lecta non tantùm memo- *Memoriæ adminicula comparat.* riæ, quæ totius eruditionis theſaurus eſt, & quæ, ſi deſit, non ſecus ſupervacaneus omnis labor eſt, quàm ſi in pertuſum dolium aquam infundas, fideliſſimè mandavit: ſed inprimis meditationis ſolitæ igne excoxit, & converſationis cum eruditis cote ad maturitatem provexit. Præivit ipſi in his omnibus, quâ licuit, frater *Seobaldus*, Græ-

cè

cè ſatis doctus, qui etiam author Ioh.Ludovico fuit, ut locis & imaginibus memoriam adjuvare contenderet. quod ille tanto cum ſucceſſu tentavit, ut magiſtrum ſuperare
1648. viſus ſit. Colonia Scaphuſium redux in *Hoferum*, Scholæ Rectorem, Virum doctiſſimum incidit. Cujus operâ plurimùm ſe, in Philoſophia cumprimis, profeciſſe, non ſemel apud me profeſſus eſt. Alſtedii enim Encyclopædiam univerſam, magiſtro eo, cui eam explicanti aſſiduam operam dedit, in ſuccum & ſanguinem ſuum converterat. Qui labor ei per omnem vitam multùm profuit, dicere ſolito, ſe nec recentiores Philoſophos ſpernere, nec vetuſtiores illos, ad uſum Theologiæ aprime magnóque judicio accommodatos abdicare. Dialecticam inprimis, artem illam, quæ rectè diſſerendi & judicandi vias oſtendit, ſine cujus inſtrumento & viatico ad diſciplinam Theologiæ ſe conferre perinde eſt, ac ſi quis contenderet, infanti Herculis cothurnos induere, magni fecit, & commendavit omnibus; non qualem loquaciſſimum Sophiſtarum genus propinat, ſed qualem Ariſtoteles, quem hac in diſciplina excelluiſſe faſſus ſemper eſt, præivit, ibi maximè, ubi, quam vim arguendi termini ſimplices habeant, magno judicio ille ediſſeruit. quam diſciplinæ illius præcipuam & ſaluberrimam partem, in regulis dirigendæ rationis conſiſtentem, ſupinè ita à pleriſque hodie negligi, vehementer indignari Fabritius ſolebat. Neque tamen ibi deſidebat, & velut ad ſcopulos Sirenæos conſeneſcebat; ſed recentiores, inprimis illos, qui cum Theologiæ ſtudio ſaniorem Philoſophiam conjunxerunt, Alſtedium, Kekermannum, Goclenium, Burgersdicium, Claubergium, & comparavit ipſe, & comparandos aliis ſuaſit. At nec in Philoſophiæ duntaxat univerſæ, ſed linguarum etiam altiore notitia comparanda idem Hoferus Fabritio dux extitit; quin & memoriam ejus locis & imaginibus, traditis ei Lullianæ artis regulis, ampliùs adjuvare & figere connixus eſt.
1649. Sed mox Fabritio geſtivit animus reverti Coloniam, ad inviſendum denuo fratrem, qui eodem tempore Heidelbergam

Scaphuſium redux inſtitutioni Hoferi vacat, & Philoſophiam excolit.

Denuo Co-

loniam, comite Wepfero, migrat, & fratrem Heidelbergam vocatum comitatur, atque ad eum matrem & ſorores ducit.

gam ad Profeſſionem Hiſtoriarum & Linguæ Græcæ exornandam vocatus fuerat. Comitem ſibi aſcivit Ioh. Conradum *Wepferum*, juvenem præſtantiſſimum, & nunc Reipublicæ Scaphuſianæ Conſulem meritiſſimum graviſſimúmque, quo cum eidem per omnem vitam magna neceſſitudo, & interior amicitia interceſſit. Neque diu Coloniæ hæſerunt; Seobaldo fratre Heidelbergam auſpicandæ Profeſſionis ergo feſtinante, quem uterque proſecutus eſt; Fabritio etiam ſine mora dilectam matrem & ſorores Scaphuſio Heidelbergam, in contubernio recens creati Profeſſoris Seobaldi vitam toleraturas, abducente. Hoc pietatis 1650.
officio defunctus, poſtquam temporis non adeò longi moram Heidelbergæ traxit, Scaphuſium denuo repetiit, & Muſis ſuis diu noctúque vacavit. Sed obſervavit tamen ille, quod veriſſimum eſt, inter ſuos, & in umbra patriæ ac ſinu, rudimenta quidem artium non infeliciter tractari, ſed abſolvere præclarè cœpta cupienti omnino domo abeundum, & cum viris magnis, inito eorum delectu, habitandum eſſe. Sic ingenio vigorem, ſic judicio acumen adjici; quod non aliter, quàm inter eruditos, & aſſidua cum iis conſuetudine parari queat. Nam quæ hactenus Coloniam itinera ſuſceperat, leves potiùs excurſiones, quàm literaria peregrinatio fuerunt. At nunc demum peregrinari feriò animum induxit. Nam ſtudiorum & itineris comite eodem *Wepfero* Ultrajectum ſe contulit, ibique inter literarum cultum literatos quoque, quorum magna illic copia tum erat, diligenter coluit, eorúmque inſtitutioni ſe applicavit. Celebriores ibi acroaſes fecerat Gisbertus *Voetius*, vir non minùs eruditionis fama, & illuſtris ingenii monumentis pridem celebratus, quàm munerum, quæ in Academia & Eccleſia geſſerat, amplitudine inſignis. Huic ille frequentior aures præbere & ſubſtringere; hujus lateri hærere, & ædibus atque Muſæo, velut ſuis, uti. Ille viciſſim ingenio juvenis acri, & magna cupiditate res abditas cognoſcendi flagrante delectabatur, eúmque cygni inſtar, quod ſummi Platonis de Stagirite ſomnium fuerat,

Scaphuſium repetit, atque inde peregrinationem literariam ampliorem inſtituit.

Comite Wepfero Ultrajectum tendit.

 in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

in gremio ſuo plumeſcentem, & expanſis alis in altum provolantem, ſuavique concentu modulantem, ſibi, imò publico impensè gratulabatur. Sed memor Fabritius erat, non ad unum aliquid, ſed ad omnia ſimul plurimùm conducere, ſi frequenter alios quoque doceret, & Sapientiæ jam partæ merces aliis etiam exponeret. Nunquam enim meliùs, quid intelligamus, quid non, deprehendimus. Atque interim nova occurrunt commentanti, diſſerentíque nihil non altiùs animo affigitur. Cúmq; docendi licentia ei adhuc deeſſet, tabulas elaboravit, cum paucis, ſed non ſine magno fructu privatim communicatas, quibus hiſtoria univerſalis ab orbe condito ad Conſtantini M. tempora abſolutiſſimè continebatur; additis pagellis reliquis, quæ ad hanc ætatem uſque decurrunt; quas ſi quis literarum & Latinæ linguæ planè rudis, paucarum ſeptimanarum ſpatio, aliud quaſi agendo, familiares reddiderit, & ab inſtitutore clavim habuerit, ſpondebat ille fore, ut univerſam Chronologiam & Hiſtoriam adeò ſolidè percipiat, ut Patriarchas omnes, Iudices, Reges Iudæorum, Iſraelitarum, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum, Germanorum, Sicambrorum, Gallorum, Hiſpanornm, Gothorum, Vandalorum; Imperatores omnes Orientales & Occidentales; Pontifices Romanos, Viros illuſtres & doctos, una cum rebus geſtis, ætate, ſynchroniſmo, dynaſtiis, &c. quolibet recto, retrogrado ordine, ſecundum exactam annorum ſeriem, feliciſſimè reddat, eóque, quicquid in particulari hiſtoriarum lectione occurrerit, revocet. id quod, quantumvis aliquot annorum ſtudio indefeſſo allaborans, effecturus nemo ſit, quia numerorum Chronologicorum varietas & multitudo adminiculis his deſtituta memoriam ita confundat, ut circa finem occupata jam antecedentium neſcia ſit. Has ille tabulas Illuſtribus & Præpotentibus Provinciæ & Reipublicæ Ultrajectinæ Ordinibus dedicavit. à quibus adeò ſerena fronte clementérque acceptæ ſunt, ut Fabritio redhoſtimenti loco facultatem inſtituendi in Collegiis privatis, quoſcunqne vellet,

Studia ſua docendo excolere conatur.

Docendi licentiam, dedicatio Magiſtratui tabulis Chronologicis & Hiſtoricis, impetrat.

con-

contulerint qua ille ſic uſus feliciter eſt,ut confluentes ad ipſum magno numero & ardore juvenes brevi tempore ingentes,in ſtudiis inprimis Philoſophicis, progreſſus fecerint. Nec dum viceſimum ætatis annum ille attigerat,cùm ſic in Academia docere, & docentibus palmam præripere cœpit. Qui ſermonem impreſſum, quo Ordines Ultrajectinos compellavit,pellegere dignabitur,maturam & ſubſtam in juvene eruditionem,atque ſtyli elegantiam oppido admirabitur. Diſſerit enim de duabus,quas natura homini dedit, alis, queis ad ſapientiam & prudentiam evehitur, intellectu & memoria; ſed affectis illis. quas perfectas illic Logica,hic Mnemonica reddat. Utramque magnos lapſæ mentis inſtauratores excoluiſſe; ſed hanc obſcuriùs.quam tamen à Simone Ceo inventam apertè æſtimaverint ſummi Academiæ & Stoæ Principes. De ea gloriatum eſſe Hippiam apud Platonem, Carneadem, Ciceronem,authorem ad Hereñium,cumprimis Senecam,& poſt Aquinatem,Petrarcham,Muretũ, Greg.Tholoſanũ, Coraſiũ,Iulium Paciũ,Scaligerum,Lipſium,Berneggerum, alios plures,qui id diſſimulaverint,quia natura quàm arte tanti evaſiſſe videri,quò à vulgo doctorum impenſiùs colerentur, maluerint. In certum ſyſtema primum eam redegiſſe Schenkelium Lovanienſem, interpolaſſe Alſtedium, perficere viſum Torrentium Lipſienſem. dum interea non defuerint, qui utut Legatis, & aliis ad ſemel audita eodem ordine repetenda perutilem, nonnulliſque rebus expediendis admirabilem, minùs tamen pueris, ſenibus, viris occupatis convenientem, quin & laborioſam & noxiam forte, & ipſam indigentem memoria, judicaverint. Ita paucis juvenis conſtrinxit, quæ illud Cimbriæ decus, πολυμαθέστατος *Morhofius*, jam quinquagenario major, in Polyhiſtore cum admiratione legentium ampliſſimè proſecutus eſt. Sed prætulit tamen Fabricius Memonicæ arti Methodum, qua curioſa ſeculi hujus induſtria univerſam Cyclopædiam breviſſimo temporis ſpatio ſumma cum ſoliditate, facilè & citra faſtidium emetiri docuit; &

Tenor ſermonis de memoria artificiali, quo Ordines Ultrajectinos compellavit.

 qua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

qua vel ſexennis puerulus naturali propenſione picturarum amans, & ſuperciliosæ diſciplinæ infenſior, inter ludendum cum æqualibus, moderatore magiſtro artis perito, linguas, artes, ſcientias, hiſtoriam, chronologiam univerſam perdiſcere queat. Hujuſmodi artibus viros, quos Guazzo *univerſales* vocet, ad ſtupendam eruditionem perveniſſe, quas tamen, ut ſoli Semones clueant, aliis diſſuaſerint. quod Daguini, Petri Ianuarii, Canteriorum fratrum, & Murneri Argentoratenſis, per chartiludia ejuſmodi brevi ad eruditionem ſummam provectorum, exemplis confirmat. verè ut juvenem adhuc antiquarii laude excelluiſſe, prædicari poſſit. Fabricio equidem natura memoriæ robur impartita eſt. Cúmque optima memoria tribus rebus conſtet, *Intellectu*, quia rem bene intellexiſſe, bona pars memoriæ eſt; *Ordine*, ut etiam, quæ ſemel exciderint, quaſi poſtliminio in animum revocemus, & *Cura*, qua, quæ meminiſſe velimus, ea attentiùs crebriúſque relegimus, deinde ſæpius à nobis ipſis exigimus, ut ſi quid forte ſuffugerit, id reſtituatur; quæ ſingula τῷ εἰς ἄφενον σπεύδοντι *bis opibus properanti diteſcere* negligenda non ſunt: Fabritio iſthæc omnia adfuerunt. Sed præterea inſolita quadam vi imaginandi pollebat; verè, voce Quintiliani utor, εὐφαντασίωτος. Quæ cauſa ei Mnemonicæ etiam artis excolendæ fuit. qua ille feliciter uſus eſt, ſed in iis rebus tantùm, quæ ad memoriam propriè pertinent, hiſtoriis, factis, lectione librorum, & orationum recitatione. Nam in diſciplinis firmiorem ab ipſo rerum nexu & ordine memoriam expectandam iis potiſſimùm, qui mediocri judicio valent, cenſuit, haud planè diſſonus ICto doctiſſimo, Iacobo Lectio, qui etſi artem hanc aſpernatus non eſt, tamen in ea plus eſſe oſtentationis quàm frugis, judicavit; ſecundas ei faciente Berneggero, viro optimo & doctiſſimo, aliiſque ſtatuentibus, naturali memoriæ plus virium ex quotidiana exercitatione accedere poſſe. ſicut è palæſtra ſemper habiliores pugiles recedunt, & continuo uſu etiam membra novum robur acquirunt; præſertim ſi

Memoriam naturalem artificiali perficere conatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

confuſa multorum lectione, quæ nulla certa veſtigia poſt ſe ducit, non obruatur. Haud pigebit ſententiam ejus de hac arte verbis, quæ jam provectior ætate ad amicum perſcripſit, repræſentare. *Artificioſam*, ſic ille, *memoriam uſui eſſe poſſe, non inficior, modò non ex impoſtorum & agyrtarum, ad meram oſtentationem comparatis præceptionibus petatur, ſed ex veris tum rerum naturæ, tum humano ingenio conſentaneis principiis, quæ Platoni, Ciceroni aliiſque fere omnibus clariſſimis oratoribus, legatis & Rerumpublicarum præſidibus, & olim & nunc cognita & exculta fuerunt. Nam monſtroſa illa ars, quam Schenkelius, Cæcilius Frey, aliique tenebriones ſcholaſtici publicè venditarunt, & ingenii ratiociniique promptitudinem inhibet, & judicii vim retundit, adeóque plus nocet, quàm prodeſt. Ipſam verò etiam genuinam artem quamvis Cicero & alii viri ſapientes docuerint, fatendum tamen eſt, vix addiſci poſſe ex ipſorum ſcriptis, ſed vivæ vocis doctrina & exemplis, ad uſum, præeunte præceptore, applicatis opus eſſe. id quod ipſum paucorum, ſex nimirū, vel ſeptem dierum, aut minore etiam temporis ſpatio confici poteſt. Sed ut magnos ac ſingulares fructus inde referas, longiori exercitio opus eſt. A prima juventute præcepta ejus didici, varias & impoſtorum & ſapientum methodos expendi, inde quicquid ſolidum & utile à vano & inani, quod jactari ſolet, ſecrevi.* Hactenus ille, ad amicum interioris admiſſionis, qui eo præceptore ad diſcendam artem uti geſtiverat. Neſcio an ad artem Mnemonicam etiam referam peculiare illud Fabritii artificium, quo ille per notas breves multa ſignificare aprimè noverat. Artem *Notariam*, vel *Notatoriam* appellant, qua ille uſus exiguo tempore plurima ſcripſit, ex libris excerpſit, & nullo negotio ab aliis habitas conciones, orationes & lectiones calamo notatore ſic excepit, ut vix verbum excideret. Simile quid apud Sinenſes, verba & ſenſus uno charactere exprimentes, vigere conſtat; & artem talem notariam olim Caramuel Lobkovvizius promiſit. an præſtiterit, mihi non liquet. Talibus ille artibus, talibus ſtudiis in Academia Ultrajectina paulò plus quàm ephebus inclaruit, in admira-

Ejus ſenioris de arte Mnemonica judicium.

Artis Notatoriæ callens fuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

tionem ſui cunctos rapiens. At nec longam ibidem moram traxit. Habuit enim ingenium ejus procos, quos inter præſidii Reeſani Gubernator Antonius *de la Lane*, Toparcha in Bonemeur, &c. Eques, & Conſiliarius Regis Galliarum, de adſciſcendo homine, qui ſtudia filii moderaretur, ac juvenem neceſſariis conditioni, cui parabatur, ſcientiis inſtrueret, ſolicitè cogitans, neminem ad hoc munus ex ſua voluntate, & filii utilitate gerendum Fabritio aptiorem reperit. Hujus igitur fidei curæque commiſſum Filium Lutetiam mittere ſtatuit. Ita Fabritius

Gubernatoris Rheſani Lani filio; præfectus Lutetiam proficiſcitur.

1652. cum diſcipulo iter die XII. Aug. A. MDCLII. ingreſſus, die XI. Septemb. feliciter Lutetiæ, illa urbium Europæ, Conſtantinopoli excepta, principe, appulit. Ubi tres ferè integros annos *Lanio*, &, eo digreſſo, etiam ſeſquiannos Nobiliſſimo adoleſcenti *le Coq* ſumma fide, maxima dexteritate, optimóque ſucceſſu præfuit. Sed ſic ſuo erga adoleſcentes diſciplinæ ſuæ traditos officio ſatisfecit, ut ſibi tamen ſtudiiſque ſuis ad altiora indies provehendis minimè defuerit. Comparandæ enim eruditionis amplioris remedia cuncta circumſpexit, avidéque amplexus eſt. Parum illud eſt, quòd frequenter Sorbonæ interfuit, & Philoſophiæ, aliiſque exercitationibus diligenter vacavit. Vidi enim manu ejus univerſum Philoſophiæ curſum, qualis à præcipuis Sorbonæ magiſtris doceri ſueverat, deſcriptum. Vidi non pauca alia Sorbonæ ſpolia inter manus ejus hærentia, quæ ad uſum feliciter promptéque revocare ſolebat. Neque parum hac cote acui ingenium ſuum ſenſit. Sed illud longè majus erat, quòd ipſi libros inter & amicos victitare, & quotidiana ſummorum virorum conſuetudine familiariter ac perjucundè uti contigit. Florebant tum Lutetiæ Theologi Reformati ſummi, Iohannes Dallæus, Drelincurtius, Falcarius, Metrezatius, Albertinns; qui poſtremus eodem anno ad meliores abiit. *Dallæo*, ſummæ claritudinis & dignationis viro, adeò ad intimam uſque familiaritatem innotuit, adeò aſſiduus hæſit, ut quod filius ejus cognominis, meus in triſti exilio ho-

Studia ejus ibidem promota.

Converſatio ejus cum Theologis Pariſienſibus.

hoſpes longè clariſſimus, mihi non ſemel confirmavit, tantùm non inter domeſticos ejus numeratus fuerit. Frequens quinetiam reliquorum, quos nominavi, limina adiit, fas ſibi reputans, tantorum in virorum, è quorum pectoribus hiante ore abditæ doctrinæ fontes bibere liceret, notitiam & conſuetudinem omni arte irrepere, imò vi irrumpere, non meliori damno frontem poni poſſe reputans. Nam turba quidem quamlibet magna, literariæ artis expers, maxima ſolitudo eſt. Sed altioris Sapientiæ & virtutis luminibus ſe applicare, quædam ſapientiæ ſcintilla eſt. Non enim in univerſum illud Sidonnii Apollinaris approbaverim, cenſentis, magnorum conſuetudinem ſpectatiſſimum quemque bene flammarum naturæ comparaſſe, quæ ſicut paululum à ſe remota illuminant, ita propiùs admota ſibi comburunt. quod bonos inter metuendum non eſſe, Dei optimi, & bonorum quorumvis exemplis patet; Homiletices tantùm eruditæ leges, quas viri doctiſſimi, *Jonſtonus*, & idem, qui ſupra, *Morhofius*, haud in vanum ediſſeruere, ſerventur. Quod Fabritio, inſignis prudentiæ homini, juveni cum ſenibus toto orbe clariſſimis conſueſcenti, difficile non fuit. Non enim cum iis de rebus anilibus, non de litibus in foro agitatis, non de otioſis literarum apicibus, ſed de omni ſcientiarum ſeveriorum, ſacrarum inprimis, genere, de antiquitate ſacra & profana, de illorum temporum conſiliis ac caſibus, de praxi verbi Dei, de controverſiis, aliisque ejusmodi modeſta libertate, & diſcendi pia contentione contulit. Et tanti viri illi ſummi ingenium ſtudiúmque Fabritii æſtimarunt, ut paterentur eum ſuper cæteris habere amoris ſui pignus, quò non tantùm ea quoque nôſſet, quæ nôſſe paucos, & intimæ duntaxat admiſſionis amicos vellent; ſed etiam eum ſecretiorum Muſarum & ſcriptorum ſuorum in ſcriniis reconditorum participem redderent. Non ſemel enim ſpectator ſumma cum admiratione ſui theſauri illius ſcriptorum, quæ pluribus voluminibus comprehenſa, exegetica, hiſtorica, polemica,

Converſationis literariæ fructus.

Fabritio magnam utilitatem converſatio illa attulit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

alia, Dallæo, Drelincurtio, Metrezatio, Falcario authoribus, privum in uſum ſuum manu propria deſcripſit. Quæ feralis incendii Heidelbergæ flammis periiſſe, dolendum equidem maximopere eſt. Hoc ferè modo tempus quatuor plus annorum ſpatio Lutetiæ conſumpſit, præterquam quòd non tantùm linguæ Gallicæ non vulgarem ſibi notitiam paravit; qua fretus Gallicas conciones terſiſſimas nullo negotio frequenter habuit; atque inſuper morum Gallicorum decoræ elegantiæ exprimendæ haud inutilem operam dedit: ſed etiam ad perdiſcenda Gallorum inſtituta feliciter animum applicuit, atque eum ex hac indagandi ſolertia fructum retulit, ut tantam rerum Gallicarum notitiam ſibi comparaverit, quanta in virum diligentem, rerúmq̃ue peregrinarum obſervatorem cadere potuit. Sed Lutetia die XIX. Aug. A.MDCLVI. relicta, Heidelbergam proficiſci, atque ibi, ſi fortunam propitiam experiretur, larem figere conſtituit. Circuitu tamen, non breviore itineris compendio uſus, flexo itinere Baſileam petiit, atque ibi concionatus ſemel, Heidelbergam iter promovit, ibíque circa Octobris initium feliciter appulit, paucorum dierum mora in fratris Seobaldi hoſpitio conſumpta. Vix ex itinere reſpirans ſui in ſtudiis Theologicis profectus ſpecimen edidit, conſcripta publicíque juris facta de Theologia, ejúſque principio diſputatione, quam doctiſſimè & perſpicaciſſimè compoſitam, & Sereniſſimo Electori CAROLO LUDOVICO, ad cujus gratiam Principalem vehementer aſpirabat, humilimè inſcriptam, Præſide Friderico *Spanhemio*, Theologo tum juvene & recente, ſed ingenii ardore, judicii acrimonia, & eloquentiæ ſuada maxima quæque promittente, egregiè ſuſtinuit; atque inprimis Sereniſſimi Electoris præſentis applauſum meruit. Invitatus ad palæſtram hanc eundem exercui, & notas Divinitatis Scripturæ, ab eodem veriſſimè doctiſſiméque perhibitas, ad examen revocavi. Quamprimùm enim Heidelbergam pedem Fabritius intulit, ad me ignotum hactenus, ignotus & ipſe, inviſere dignatus

Lutetia Heidelbergam proficiſcitur.

1656.

Diſputationem Theologicam, Electore coram, ſuſtinet.

Amicitiam cum Hei-

tus, amicitiam mihi obtulit,& fidem ſuam optimam integerrimámque ſponſorem dedit. Ego,nil diffiſus,ſtatim in amorem & admirationem juvenis,tot notis probitatis, ingenii, eruditionis, prudentiæ minimè vulgaris inſigniti, exardeſcens, cum eo paria facere contendi. Sicut enim ſtudiorum ſimilitudine, ita ætatis quoque ratione propemodum pares fuimus. Amicitia autem pares inter cœpta feliciſſimè coaleſcit, & diutiſſimè conſervatur. Acceſſit genius quidem occultus, qui, tenaciſſimi glutinis inſtar, ad amorem mutuum & interiorem amicitiam utrumque colligaſſe videtur. Inter prima mutuæ conjunctionis documenta libera quotidiani aditus facultas extitit; quæ cùm apud alios quoque inter intimæ admiſſionis pignora reputari ſoleat, hic non uno illo nomine æſtimari meruit. Non enim juveniles inter luſus, vel fortuitos ſermones, ſed per colloquia utiliſſima, & individuam ſtudiorum communionem tempus ducebatur; & vix unus dies diffluxit, cujus non unam aut alteram horam in familiari ſtudiorum Theologiæ & Philoſophiæ commercio conſumpſerimus. Ego ingenium ejus ſublime, ſuave, in rebus agendis ſubactum arctè familiaritérque dilexi; neque tamen in amore illo mutuo ſe vinci à me paſſus eſt, quicquid etiam amore non indignum apud me & ſtudia mea conſpexerit. Ille meus in urbe, meus in receſſu contubernalis. Cum hoc ſeria, cum hoc jocos miſcui. Nihil illo aut fidelius amico, aut ſodale jucundius extitit. Neuter alterius conſcientiam reformidavit. Et digreſſis etiam, atque à ſe invicem, fatorum lege, divulſis, reliquum omne tempus, ad ultimum uſque Fabritii, qui prior ad melioris abiit, ſpiritum, per intemeratæ ſanctiſſimæque hujus amicitiæ cultum tranſactum eſt. verè ut juxta illud, quod Solomoni ſapientia dictavit, unus alteri אהב דבק מאח *amicus fratre conjunctior* extiterit. Eadem voluntatum ſtudiorúmque conſenſio effecit, ut eodem anno ad ſupremos in Philoſophia honores capeſſendos animum uterque appelleret, non inanis gloriolæ ſtimulis

deggero contrahis.

Cum eodem ſupremos in Philoſophia ho.

d com-

nores ca. peſſit.

compunctus, cùm typhum ſeculi uterque jam ſpernere didicerit, & præpoſterum eſſe in ſpem duntaxat famæ laborare judicaverit; ſed quia Academia recens inſtaurata, & ad priſtinæ amplitudinis ſuæ decora recipienda connitens, id deſiderare videbatur, & gradum hunc viam ad docendum publicè ſternere poſſe, uterque ſperavit. Qui etiam poſtquam publicis exercitationibus, puta tum diſputatione ſolenni, pro cujus Themate Fabritius explicationem *Amicitiæ*, aliorumque Philoſophiæ capitum delegit, & Præſide Sebaſtiano *Ramſpekio*, Viro doctiſſimo, integerrimóque, ſumma cum laude ſuſtinuit; tum Lectionibus & examinibus ſubitis, Philoſophicæ Facultatis anteſignanis feciſſent ſatis, unanimi ſuffragio decretos ſibi honores, brabeuta deſignato *Seobaldo Fabritio*, Facultatis Decano, præſente Sereniſſimo Electore, magnáque corona diverſæ ſortis hominum, die XVI. Decemb. una ſimul conſecuti ſunt.

Ordinatur ad miniſterium Eccleſiæ.

Ac mox etiam Fabritius, incertus, ad Eccleſiæ, an Academiæ miniſterium fata ipſum pertractura eſſent, Eccleſiaſticæ ordinationis particeps reddi voluit. Quam ei Senatns Eccleſiaſticus ultro decretam, poſtquam die XIV. Ian. MDCLVII. examen ſuſtinuit, & die XIX. concionem δοκιμαςικὴν pro more habuit; mox die XXI. ſolenniter, ſacra inter vota, & certantia bona omina, *Caſtnero*, Wisloci Paſtore & Inſpectore, Venerabili ſene, χειροθεσίας munere defungente, contulit. Neque enim illud obſtabat, quòd nondum Fabritius per vocationem ordinariam certæ Eccleſiæ procurationi admotus fuit. Licet enim Chalcedonenſis Synodus quemquam ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι *abſolutè*, certam Eccleſiam, vel títulum non habentem, *ordinari* vetuerit, & Germanicæ etiam aliæque Eccleſiæ plures morem non ordinandi abſque titulo retineant, non deſunt tamen Eccleſiæ diverſum morem, ob rationes ſingulares, colentes: & caſus incidere poſſunt, quibus leges eæ, quibus εὐταξία definitur, ſine periculo & noxa negliguntur. Nam & Paulo Nolano, nulli dum certæ Eccleſiæ obligato, ordinationis honorem habitum conſtat. Fabritio verò eun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

eundem honorem Senatus Eccleſiaſticus non invidebat, *ob prærogativam eruditionis*, uti diſertis verbis ordinationis teſtimonium memorat. Prudens nempe, uti ſcitè Seneca, non ſe aliquibus mutat, ſed potiùs aptat, & licet non ſemper uno gradu eat, ſemper tamen una via progreditur. Gradu porrò Philoſophiæ exornatis Fabricio & mihi protinus Profeſſio extraordinaria Academica, illi Linguæ Græcæ, mihi Hebraicæ demandata eſt. quibus in munerum publicorum auſpiciis non parum uterque exultavit, quòd ſic talenta & ſtudia ſua per publicas privatáſque lectiones & exercitationes varias ad publici fœnoris uſuram maturè provehendi, & docendo ad eruditionem ampliorem perveniendi opportunitas major aſſulſiſſet. Neque enim tantùm uterque lectionibus habendis ſedulò vacavit, ſed etiam diſputationes publicas Philoſophicas crebras accuravit, & privata inſtitutione univerſam fere Philoſophiam, Fabritio Metaphyſicam & Ethicam, me Logicam & Phyſicam docente, diſcipulorum omnis generis frequente confluxu, alternis diebus in Collegio Sapientiæ tradidit.

1657. Profeſſionem extraordinariam Linguæ Græcæ obit, & in Collegio Sapientiæ Philoſophiam docet.

Extant Fabritii Diſputationes Metaphyſicæ, atque eas inter duæ celebriores, una *de Natura & uſu primæ Philoſophiæ*, qua inter alia adverſus Ameſium diſciplinæ illius uſum diſceptat: altera *de univerſali omnium ſcientiarum hypotheſi*, *Abſtractione* videlicet, utpote qua diſciplinæ conſtituuntur, diſtinguuntur & dividuntur. de qua multa ſubtiliter, & quæ haud publici ſaporis ſunt, diſſerit, concludens ad extremum, abſtractionem eſſe actionem intellectus, repræſentantem unum quid, non repræſentando alterum, quod cum priori eſt, ita tamen, ut ab illa adæquatè, vel inadæquatè, intrinſecus vel extrinſecus diſtinctum ſit, nemine cogitante. Argutiora hæc, quàm ad uſum ſalubriora videri poterant, taliáque, quæ, iuxta Paccuvii vulgatum illud, *homines ignava opera, philoſopha ſententia* deceant. Sed qui in ſublimioribus illis, quæ Metaphyſice perſequitur, haud planè hoſpites ſunt, non contemnendum ſpeculationis illius, ab erroribus periculoſis animum liberantis,

Diſputationes Philoſophicas præſidio ſuo moderatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

uſum facilè ſubodorantur. Sed talia Academica ejus exercitia fuerunt; diverſa planè ab iis, quæ in Eccleſia frequentavit. Non ſemel enim Gallico idiomate concionatus eſt, deſiderantibus Electore Sereniſſimo, & Sorore Ejuſdem, Regia Principe ELISABETHA, cujus judicium, ingenium & eruditionem meritò omnes ſtupebant. Et jam Fabritius frequentiùs in aulam accitus adeò Electoris ſapientiſſimi animum occupaverat, ut una poſt alteram gratia eum dignatus fuerit. Maximopere enim Ei ingenium Viri omnium fere rerum capax & multiplex placuit. Ante omnia igitur curam inſtitutionémque LUDOVICI DE ROTENSCHILT, Baronis Saletionenſis, quem Elector ex ſanguine ſuo genitum, ceu delicium ſuum, patrio affectu dilexerat, ei demandavit. Huic Fabritius, incomparabilis juventæ cujuſvis rector & formator, quicquid in auctoribus tam ſacris, quàm profanis, vel prudentia eximium, vel ingenio ſublime, vel uſui accommodatum ſeſe obtulerat, perſpicuè explicavit. Nec antiquitatem duntaxat & antiquos, ſed recentiores etiam, patriæ inprimis noſcendæ magiſtros, inculcabat alumno, gnarus, aliter privatæ mediocritatis homines, aliter Principum liberos quoſcunque docendos eſſe, neque eandem utriſque educationem congruere. Illis enim otium ac vita à Republica ſejuncta amplum in ſtudiis deliciandi ſpatium indulget: horum diverſa ſors eſt, quibus à præceptionibus ad uſum, à ſcientiis ad res gerendas ſtatim tranſeundum eſt. Fabritius, ſaluberrimus inſtituendi author, anxia circumſpectione uſus, authores pauciſſimos ſeligere, quàm exempla multorum imitari maluit, qui adoleſcentibus, quorum ſtudiis conſulere debebant, obvios quoſque obtrudere, quàm dilectu habito meliores à deterioribus, utiles à futilibus, exquiſitos à vulgaribus ſejungere conſueverunt. Sperabat enim fore, ut tantæ ſpei adoleſcens ad majora poſtea eveheretur. ubi non in umbra contemplationum, non in pulvere, ſed in negotiorum luce verſaturus eſſet. Sed mirum fati ingenium, deſtinata Mortalium ple-

Concionatur Gallicè.

Ephoriam Baronis Saletionenſis ab Electore demandatam ſuſcipit.

Cum Saletionenſi Salmurium proficiſcitur.

plerunque eludentis,ſpem de juvene conceptam præmatura ejuſdem morte deſtituit. Sub anni ejuſdem finem Sereniſſimus Elector Fabritio cum eodem Barone Saletionenſi in Galliam proficiſcendi neceſſitatem impoſuit, mandans eidem, ut primam ſedem Salmurii figat, atque ibidem cum *Amyraldo*,cæteriſque Theologis de concordia Eccleſiæ procuranda, authoritate & nomine Principis uſus, conſilia miſceat. Satis enim conſtat, Sapientiſſimo Principi, haud ignaro tum frivolarum ſchiſmatis Proteſtantes inter, ſola quorundam ambitione & malivolentia corroborati continuatique,cauſarum, tum periculi & noxæ præteritæ atque imminentis, in caſum quandoque Eccleſias Germanicas daturæ, concordiæ Proteſtantes inter ſarciendæ negotium curæ cordique vehementer fuiſſe. Neq; planè Ejuſdem cum Sereniſſimis Principibus,Saxonico Electore,&Duce Wirtenbergico colloquia ejus rei cauſa inſtituta in obſcuro ſunt. Non alios etiam negotio huic tractando & conficiendo aptiores duxit Salmurienſibus, propter hypotheſium quarundam congruentiam, & συγκατάβασιν forte nimiam. Fabritius igitur itinere feſtinanter 1658.
ſuſcepto cum Alumno ſuo Salmurium petit, ibidemque anno ad exitum præcipite feliciter appellit. Sed faſtidium illi omnium ferè obrepſit, quod literis ad me datis non ſemel teſtatus eſt. *Nihil*, ſic inter alia, *ago eorum, quæ placent. Profeſſores vel ſenio confecti, vel caſu corrupti jacent. Privatim doleo, publicè otior.* Sed collecto mox animo Scripturarum lectioni totum ſe dedit. *Hæc enim*, ſic ille Cal. Iun. ad me, *ſtudia me nunc tenent totum. Miſſis ſpeculationibus Metaphyſicis ſacrum textum lego. Ubi Novum Teſtamentum mihi familiare reddidero, ad alia pergam, quantum per moleſtiſſimam vitæ meæ conditionem licet, ubi negotia mihi multa, eaque injucundiſſima, utpote quæ ab ingenio meo abhorrent quàm maximè. Tu in alto ſtudiorum receſſu rectam ſincerámque vitam agis. Meæ occupationes tales ſunt, ut quo die eas facio, neceſſariæ; ſi quotidie eas feciſſe reputo, inanes videantur, ut cum Plinio tuo loquar. Sed ſic fata volunt.*

Faſtidium præſentium ei obrepit.

Converſatio ejus cum Amyraldo, & de eodem judicium ejus.

Solatium mihi eſt ex neceſſitate. Interea multum temporis per colloquia de religione cum *Amyraldo*, maximi ingenii meritique viro, nec non de literis cum Tanaquillo *Fabro*, inter literatos ſeculi hujus præcipuos numerando, contrivit. Sed de *Amyraldo* interiorem animi ſui notionem per literas IV. Octob. cùm jam Salmurio valedixiſſet, mihi evolvere haud pigratus eſt. *Magno me*, ſic ille, *honore affecit Amyraldus, cùm Salmurii eſſem. Non mihi tamen abſtinere potui, quin ſubinde ſtudioſis, quos noſcebam, dicerem, quàm parum utiles Eccleſiæ eſſent novæ argutiæ. Cùm S. Scripturam lego, longè alium genium ſimplicitatis ibi invenio, quàm in ambitioſis ſcriptis illorum, qui nouniſi ſingularia proferre ſtudent. Lego autem illam nunc ſæpius, quoties nimirum negotiis vexatus animus ſolidam relaxationem & conſolationem quærit. Hunc fructum ex laborioſiſſima mea conditione percipio, quòd magis nunc, quàm antehac, tranquillitatem Chriſtianam expeto, ad quam ſemotum à turbis Eccleſiaſticum munus, aſpirante Deo, me promovebit.* Quem porrò exitum Fabritii cum Amyraldo inſtituta de concordia Proteſtantium conſultatio habuerit, divinare licet. Nullum enim ex ea fructum mihi aliisque promiſit. Conſtabat enim jam, eos, qui à concordia averſum animum habent, in doctrina de univerſali gratia ſuam ſententiam ab hypothetica, uti appellant, Amyraldi univerſalitate manifeſtè ſejungere; neque rei cardinem in in uno hoc, ſi maximè ſibi conſtitiſſet, conſenſu verti. Salmurio Cadomum cum Saletionenſi movit, ibique Iulio menſe advenit. Ibi *Bocharto*, eruditionis diffuſiſſimæ viro, uti familiariter conſtituerat. Sed queſtus mihi per literas eſt, tum viri illius occupationes concatenatas & ſtudia, quibus in parando ad prelum ſtupendo Hierozoici opere diſtringebatur, graviſſima, tum ſua etiam negotia, omnes, quos ex tanti viri præſentia ſperabat, fructus intercepiſſe. Non parum enim ſtudiorum ejus tramitem officioſæ compellationes, aliáque ejusmodi interturbaverant. *Si*, ita ad me ille, *me nunc videres perpetuò Nobilibus, Comitibus, Principibus immixtum, & nugas ſpe-*

Salmurio Cadomum cum Saletionenſi movet, ibique vehementer diſtrahitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

ſpecioſas agitantem, certò exclamares: Quantum mutatus ab illo eſt! Ego mihi profectò ipſe maximè diſpliceo. Verùm ſtatio, in qua locatus ſum à Sereniſſimo, fortiter defendenda eſt, dum aliò me Deus vocet. Erat enim in votis ejus flagrantiſſimis, ut liberatns à moleſtiis, quibus in ſtatione iſthac conflictabatur, Eccleſiæ inſervire ſibi integrum eſſet, neque ſe impetrare à ſemetipſo poſſe, ut poſtquam Miniſterio Eccleſiæ Dei ſolenniter conſecratus & dedicatus fuerat, ſic politicis negotiis implicari ſe pateretur, ut ſacrum characterem deleret; ſeriò aſſeveravit. Quamobrem etiam à Sereniſſimo Electore honeſtam miſſionem petiit; qua impetrata, Eccleſiæ cuidam in Gallia, operam ejus expetenti, & cui pœnè jam illam addixerat, inſervire deliberatum conſtitutúmque habuit. *Non enim*, ſic iterum ille ad me, *alta peto, hoc eſt, illa, quæ alta videntur. Nugæ enim ſunt, & mera animi tormenta, ſplendidiora illa quidem, ſed eò duriora. Mihi vivam, ita ut poſtquam in hac vita mihi vixerim, æternùm vivam. Vitæ quidem meæ ſolatium maximum fuiſſet, ſi tecum potuiſſem vivere, candidiſſima mea anima. Verùm cùm Deo aliter videbitur, etiamſi in terris eundem agrum non colamus, in Cœlo tamen ſpero ab eodem Domino laborum noſtrorum fructus nos recepturos.* Quæ verba altè tum in animum meum, plenum bonæ ſpei, fore, ut alicubi in opere Domini conjungeremur, penetraverant. Sed negata ipſi à Sereniſſimo Electore miſſione, Cadomi ille manſit, & literariæ converſationis cum viris doctiſſimis, qualis eo tempore Cadomi & Rhotomagi inprimis vigebat, fructu ſe unicè oblectavit. In hac enim ſola ſe vivere, ſe ſpiritum ducere dictitabat. Athenis olim & Romæ hujuſmodi συζητήσεις frequentari ſolitas eſſe, idonei authores, Gellius & Plutarchus, ſunt. Teſtis etiam Petrus Crinitus eſt, Politianum, Savanarolam, Picum Mirandulæ comitem, & alios celebres, qui Florentiæ tum degebant, viros, hujusmodi συζητήσεις in uſu habuiſſe. In Gallia ſimiles illuſtris & nunquam ſine reverentia commemorandus Iacobus Auguſtus Thuanus inſtituit; cujus in ædibus magna quotidie viri do-

Fruſtra Eccleſiæ Gallicanæ, implorata ab Electore miſſione, inſervire geſtit.

Ejus Cadomi converſatio literaria cum viris doctis.

Converſationis literariæ origo & progreſſus, in Gallia inprimis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

ctiſſimi, & ex omi ordine ampliſſimi, frequentia confluxerunt, ſplendidiſſimam, & cum paucis omnium, quas Europa novit, conferendam Bibliothecam ejuſdem, inviſerunt; ſimul de re literaria omni modeſta libertate, nec minori gravitate inter ſe differentes. Poſt Thuani obitum in eadem domo, tanquam beatis Muſarum Conciliis, fatataliter delecta & deſtinata, Petrus & Iacobus Puteani amicos confluentes eò admiſerunt. Quorum deinceps inſtitutum ſaluberrimum viri maximi per Galliam æmulati ſunt. Cadomi inprimis in ædibus Brioſii, viri generis dignitate, opum ſplendore, ſolida pietate, ſummáque eruditione illuſtris, ſtatis diebus de politiori & excelſis ingeniis digna literatura liberaliter diſſertaturi conveniebant viri undiquaque doctiſſimi & illuſtres, Cheminius Haullæus, Perronius, Ægidius Menagius, ille Salmaſio dictus Galliæ Varro, Nevræus, Samuel Bochartus, eruditionis portentum, Palmerius Grentemenilæus, Criticorum ocellus, Segræus, Roquæus, Hiſtoriarum & Genealogiarum ſcripior nobiliſſimus, Daniel Huetius, Calleræus, Antonius Hallæus, Galliæ Maro, cujus in XII. Tabularum leges Notæ & Coſmographia Pœtica, aliáque publicè leguntur; qui & peregrinos auguſtis cœtibus ſuis ſe miſcentes, Fabritium inprimis & Alumnum ejus, haud ægrè, prout Muſæ ἄφθονοι ſunt, & invidiæ oeſtro carent, tulerunt.

Nec non Heidelbergæ in domo Freinshemii.

Heidelbelbergæ quoque ὁ πάνυ Iohannes *Freinshemius*, quem Fabritius Semonem appellare ſueverat, haud diſſimile Muſarum Concilium inſtituit; cui juxta me Fabritius, Ramſpekius, Forſtnerus, Holſtius, aliíque φιλομαθεῖς, maximo cũ ſtudiorũ omnis generis fructu, nomina dederant. de quo alibi dedita opera plura diximus, ut ad ardorẽ imitandi inſtitutum, quo rite ordinato & exculto ad comparandam eruditionem multifariam nihil efficacius mihi ſemper viſum eſt, alios accenderemus. Sed ordinem in ejuſmodi Conciliis tenere, hoc opus, hic labor eſt. quem ſic ſatis exactum Freinshemius præſcripſerat, & Fabritius
1659. maximopere approbaverat. Interea Fabritius ex Gallia à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Fabritius Heidelbergam redit.

Sereniſſimo Electore Heidelbergam revocatus, lenti & inamœni, utpote per Lotharingiæ deſerta deducti itineris moleſtiis exantlatis, menſe Octobri MDCLIX. ibidem appulit. Sed brevis ibi exacta mora, & ab improbis rationum exactoribus, nequicquam invidiam ipſi apud Electorem conflare molientibus, vehementer exacerbata fuit. Denuo enim à Sereniſſimo Electore cum Saletionenſi iter ingredi, & Hagam Comitum proficiſci jubetur. Imperata non facete religioni cùm duxiſſet, cum Alumno ſuo citato itinere per Coloniam Agrippinam Hagam contendit, ibique Saletionenſem, Electoris juſſu, ad miniſterium Reginæ Bohemiæ Matris, nec non Sororis Sophiæ, Luneburgici Ducis Conjugis, & Viduæ Regiæ Arauſionenſis præſtandum, dirigens, ad XXIII. Maji A. MDCLX. uſque deſedit. Tum enim Electoris, qui literis die V. Maji Hagam ſcriptis Fabritio ſpem Profeſſionis Theologicæ in Academia Heidelbergenſi obeundæ fecerat; juſſu cum eodem Saletionenſi in Angliam trajecit, ubi exigui temporis mora conſumpta, Caletum uterque transfretavit; & triſtiſſimo, uti mox eventus docuit, fato divulſi, Saletionenſis Lutetiam, Fabritius Lugdunum Battavorum petierunt.

Cum Saletionenſi Hagam Comitis, atque inde in Angliam tendit.

1660.

Redux ex Anglia Lugduni Batavorum ſummos in Theologia honores, vocatus jam ab Electore ad Profeſſionem Theologicam Heidelbergenſem, non ſine ſevera lege, recipit.

Lugduni cùm hæreret Fabritius, literas à Senatu Academico Heidelbergenſi Cal. Sept. exaratas accepit, quibus Sereniſs. Electoris mandato ad Profeſſiionem Theologicam tertiam in Academia Heidelbergenſi obeundam humaniſſimè vocatus eſt. Iam ante Elector Hagam ad Fabritium eam in rem ſcripſerat, eique præter Theologicam Profeſſionem etiam Collegii Sapientiæ Ephoriam, Hottingeri abitu mox vacaturam, non contemnendis conditionibus, obtulerat, id ſolum graviter eundem obteſtatus, ut in Profeſſione futura paci Eccleſiæ uſque quaq; conſuleret, & in aſſerendis tuendiſque dogmatis moderationem tum ipſe teneret, tum diſcipulis ſuis per omnem vitam ſeriò ſuaderet. Quæ gravis obteſtatio inſitam ipſi modeſtiam, & aſſerendi tuendique verecundiam vehementer confirmavit. Salubre enim ubique temperamentum tenuit, ne vel audacter aliquid aſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

ſereret, vel imprudenter aſſertum pertinaciùs defenderet, atque ſemel placita pro æternis ſervaret; vel ab aliis temerè dicta equuleo imponeret. inprimis verò, ut omnibus in controverſiis momentum rei æqui moderatíque judicii trutina expenderet. Atque honorificè graviterque ita vocatus Fabricius, hactenus, velut ſacer aliquis Ulyſſes, hinc inde diſpulſus, tranquillitatis proximæ portum lætus ovánſque proſpexit, & ad ſpartham ſine ambagibus ſuſcipiendam & exornandam omnia comparare cœpit. Ante omnia enim Lugduni Batavorum ſupremos in Theologia honores ambivit; &, poſtquam theſes Inaugurales de variis Fidei capitibus, DEO inprimis, αὐτοσχεδιαςὶ deproperatas, & elegantiſſimè ſcriptas, Sereniſſimi Electoris CAROLI LUDOVICI nomine præſcripto, Rectore Academiæ Adolpho *Vorſtio*, conſentiente Senatu Academico, atque Veneranda Facultate Theologica decernente, magna cum eruditionis laude ſuſtinuit, atque pro more prælectionibus in Lev. XVIII. 4. 5. & Ioh. I. 17. habitis, Examini ſubiit, eoſdem die VII. Sept. brabeuta Iohanne *Coccejo*, illo Theologorum ſeculi noſtri Phœnice, non publicis, ſed privatis in ſubſelliis, ne ſtrepera negotia Heidelbergam feſtinanti tragulam injicerent, capeſſivit. Gaviſus non parum eſt, quòd honores eos detuliſſet Coccejus, cujus viri, potentis in Scripturis, cedro digna ſcripta, libellum inprimis de Fœdere Dei, interioris & occultæ ſapientiæ theſauros continentem, quàm primùm attentiùs legere cœpit, id ſibi Coccejum eſſe faſſus eſt, quod Tertullianus fuit Cypriano. quo de Paulus, ejusdem Notarius, Hieronymo, uti ipſe in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum teſtis eſt, retulit, *nunquam Cyprianum abſque Tertulliani lectione unum diem præteriiſſe, ac ſibi crebrò dixiſſe: Da Magiſtrum.* Sed prudens tamen & oculatus, non cæcus, vel ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem paſſus librorum Cocceji lector fuit, & ſic vilia nonulla à pretioſis plurimis diſcrevit, ut præ eo veteres recentioréſque Theologos omnes neutiquam, uti malè conſultos nonnullos, partium, quàm verita-

Brabeuta ei Coccejus contingit, quem maximi facit.

rita-

ritatis ſtudioſiores, hodie facere cernimus, deſpicatui haberet. gnarus, nemini mortalium veritatem & ſapientiam mancupio datam eſſe. Honoribus hiſce mactus Heidelbergam redire properus, eodem die Francofurto Heidelbergam migravit, quo me Heidelberga cum familia Francofurtum, inde Steinfurtum reverſurum, conceſſiſſe compererat; neſcius, uti ad me mox ſcripſit, quo fato mutuus ille amplexus, quem uterque noſtrûm tam calidè optaverat, impeditus fuerit. niſi forte in cauſa fuerit, quòd breviſſima interlocutio majorem abſentiæ dolorem creâſſet, neque fieri potuiſſet, ut auribus & oculis noſtris tam anguſto temporis ſpatio ſatisfeciſſemus. Quo die Heidelbergam ille ingreſſus eſt, ferale nuntium de obitu improviſo Alumni ſibi chariſſimi, Baronis Saletionenſis, vehementer ipſum perculit. De eo ſic ille ad me: *Quantam in tanti Juvenis obitu jacturam fecerimus, facilè colliges ipſe, ubi admirandas ejus virtutes, & incredibilem ejus erga me amorem in memoriam revocaveris. Ab aliquo tempore, quo horribilis ille nuntius me percuſſit, certè non licuit vel unam horam quietam agere, adeò me excruciat memoria illius diſceſſus, quem ipſe mortis ſuæ cauſam dixit. Caleti ipſum ſalvum & incolumen reliqueram, ipſe Pariſios, ego Leidam tendebamus. Vix uno menſe exacto ipſe ſine comite, meam abſentiam ſæpius increpans, febri violentiſſima correptus obiit; nuntius mihi Heidelbergam intranti & nihil minus cogitanti affertur. Sed quid dolorem illum revoco?* Obitus ille adeò ab Electore ipſo, Fabritio, & præter multos alios etiam à me, ob memoriam virtutum, pietatis inprimis, ſapientis elegantiſque ingenii, & heroicæ indolis; addo etiam amoris illius, quo me ille haud vulgari proſecutus fuerat, deploratus, eidem Fabritio argumentum Orationis inauguralis, qua is Profeſſionem Theologicam recepto more, die XXVI. Octobris auſpicatus fuerat, præbuit. Nam velut Sereniſſimi Electoris, qui juvenem inde à cunabulis non tam amabat, quàm demoriebatur, ægritudini levamentum aliquod allaturus, de immortalitate animæ ex Dei Natura & ingenio; ex iis,

Heidelbergam revertitur, ubi triſti de obitu Saletionenſis nuntio percellitur.

Profeſſionem Theologicam oratione inaugurali de immortalitate animorum auſpicatur.

quæ Deus tum omnium mentibus inſculpſit, tum oraculis diſertis teſtatus eſt; denique ex animæ fabrica, affectibus, motionibúſque probata, diſertiſſimè & efficaciter adeò diſſeruit, ut iisdem, quibus orationem pronuntiaverat, verbis ſtatim in lucem protrudi Elector imperaverit. Hac ratione captis Profeſſionis auguriis, jam latera cingens virorum celeberrimorum, *Hottingeri* & *Spanhemii*, antehac doctorum, nunc etiam Collegarum ſuorum, nihil reliqui fecit, ut Deo & Principi ſuo intemeratam fidem, Collegis venerationem, officia, imò & obſequia, atque concordiam probaret, quin & Academiæ novo hoc Lumine auctiori decus, juventuti, exoriente hoc ſole vehementer exhilaratæ, profectum conciliaret, denique & nominis ſui famam, cui etiam boni ſœpe indulgent, non oſtentanda virtute, vel per artem quæſitam, honeſtis rationibus extenderet, & meritorum radios, aſtrorum, non unam tantùm regionem illuminantium, ſed univerſum mundum radiis ſuis illuſtrantium, æmulatione quaquaverſum ſpargeret atque diffunderet. Quanta porro cum gloria, fide & induſtria, quanto ſtudioſæ juventutis cum profectu Theologiam profeſſus ſit, teſtes auriti innumeri, iique fide digniſſimi fuerunt & ſunt. Non enim, ut modica, nec in falſum aucta dicam, ad id vel facultate, vel voluntate deſtituebatur. Ingenio quippe planè Divino pollebat. quod omnes boni ingenii & ἐυμαθείας characteres confirmant. Nam & Naturæ inſtinctu ad res ſublimes ferebatur, à cavillatonibus, tricis & triſtibus nugis penitus abhorrens: & principiorum ubertate atque claritate mentem facilè implevit: & ingenium ejus planè ϛοχαϛικὸν atque ſagax tenui cura adjutum ſeipſum extendit & dilatavit: & celeriter unum ex alio colligere, aptéque illa connectere, atque imagines aptè concipere nullo negotio valuit. Quas boni excelsique ingenii notas, à veteribus ad μίμησιν, μνήμlω, ἀγχίνοιαν & ὀξύτητα revocatas, diu cum eo converſatus facilè deprehendi, & alii, mediocri etiam talium intelligentia præditi haud majore negotio deprehenderunt.

Profeſſionem fide integerrima obit.

Facultas eam exornandi ex Divino ejus ingenio,

derunt. Memoriam ſuapte natura felicem in arripiendis rebus, quas complecti cupiebat, velociſſimam, & in reddendis haud ſegniorem, arte & uſu feliciorem promptiorémque reddidit. Vigor animi aderat par ingentibus negotiis; & prompta inprimis atque profluens non loquentia, ſed eloquentia, qua fretus plerunque verba maturo cum judicio eluctabantur ad extemporalitatem uſque. Linguarum orignalium, quibus cœleſti Spiritu afflati ſcriptores ſacri uſi ſunt, & Latinæ terſioris, ſine qua inſulſum fatuúmque eſt, quicquid vel ore profertur, vel chartis mandatur, non diutiùs victuris, quàm ſolſtitiales herbæ, callentiſſimus erat. cujus rei & ſcripta ejus publica, & epiſtolæ privatæ, priſca & germana Latinitate ſcriptæ, atque Hyblæo melle dulciores, quibus, ſi quandoque collectæ lucem viderent, mirè veteris & ſimplicis facundiæ ſtudioſi caperentur, fidem faciunt. At nec criticum acumen in eo deſiderârunt viri doctiſſimi, qui in dubiis authorum lectionibus ejus judicio ſubnixi ſunt. Quanquam non ea in hæreſi fuit, ut in ſyllabarum momentis ſervari Rempublicam, vel Græciæ totius fortunas verti putaret, vel dies rerum verborum minutiis contereret. Acceſſit Philoſophiæ, in cujus interiora ille adyta feliciter penetravit, Hiſtoriæ quinetiam ſacræ & profanæ, veteris atque recentioris haud deſultoria, ſed ſolida, exacta & matura cognitio atque peritia. Hoc ille Linguarum & artium Theologiæ ancillantium viatico haud æſtivè inſtructus Theologiam longè faciliùs perdidicit. quanquam ſermonis & rationis in ea uſum ſic ſemper moderatus eſt, ut vias Dei non eſſe inſtar viarum hominum, & erudita diſſertatione conſtituerit, & in univerſa inſtitutione ſua confirmaverit. Quæ cauſa eſt, quòd Scripturæ S. lectioni totum ſe tradidit, quia non aliunde ſecretas illas vias & cogitationes Dei, de ſalute inprimis hominis peccatoris, inveſtigari poſſe, & plurima de Deo credi, quàm ſciri rectiùs, perſuaſiſſimum habuit. Ad hanc ille auream ſtateram ſic religiones in mundo diſſidentes appendit, ut ab ea ſe dimoveri, ἀντεχόμενος

Memoria.

Vigore animi, eloquentia, peritia linguarum & Philoſophia;

Et Scripturæ notitia, probatur.

τȣ͂ πιϛȣ͂ λόγȣ *affixus* ſemper *fideli* illi *ſermoni*, paſſus nunquam fuerit. Memini enim me ex ipſius ore paucos ante annos haurire, quòd à Sereniſſimo Electore ſententiam de Socinianorum, quorum Ei religionem nonnemo laudaverat, ſecta rogatus, paucis multa reſponderit, vel Scripturam fallere, vel Socinianam religionem, Deitati & merito Chriſti inprimis oppoſitam, meram impietatem & deteſtabilem errorem eſſe. Scripturam enim Chriſti Deitatem, & ejuſdem ſatisfactionem adeò claris, nullique exceptioni ſolidæ obnoxiis verbis aſtruere, ut nulla ſophiſtice hactenus eludi potuerint. Stare autem animo ſuo vel adamante fixam ſententiam, Scripturam Dei verbum certiſſimum & indubitabile eſſe; adeóque relinqui, ut Socinianorum religio error ſit, tantóque gravior, quantò gravior eſt Deitatis & ſalutis humanæ abnegatio. Qua in demonſtratione ſic Principem Sapientiſſimum acquieviſſe mihi narravit, ut Socinianis in Palatinatum, per favorem viri, qui Principis gratia valere alias ob cauſas videbatur, ſubrepere paratos, velut Atheos, repudiaverit, & res ſuas ſibi habere juſſerit. Hoc inſuper Fabritius habuit, quòd verbi Dei peritia, & ejuſdem ὀρθοτομίᾳ inſtructus, mirè etiam διδακτικὸς, ad docendum aptus promptúſque, docendo in animos diſcentium quaſi influxit. qua dote ſuper multos alios excelluit. Cùm enim nil niſi probè perceptum, altóque animo infixum docere certus fuerit, atque inſuper ingenium illi promptum, & facundia nativa fuerit, non potuit non ad docendum planè idoneus promptúſque accedere, & docendo plurimùm prodeſſe. Quod omnes, qui ab ore ejus vel publicè, vel privatim docentis unquam pendebant, fateri neceſſe habuerunt, & habent. Sed parem facultati & ad docendum ex Dei verbo myſteria Regni cœlorum aptitudini voluntatem habuit. Non enim vel negligens, & ſupinus vocationis & donorum Divinitus ipſi collatorum æſtimator, vel improbus adeò trapezites & fœnerator fuit, ut talentum Divinitus acceptum ad publici in Eccleſia fœnoris uſuram non proveheret, vel prove-

Reſponſum ejus de Socinianorum religione perhibitum, quanti S. Scripturam fecerit, oſtendit.

Dono docendi ſingulari valuit.

Facultati docendi par ejus voluntas fuit.

Quod ex pio ſtudio & maxima diligentia, aliisque ejus

here nollet. quod certis vitæ anteactæ, amoris Dei, verbi ejus & Eccleſiæ, modeſtiæ, gravitatis, candoris, induſtriæ, & aliis ejuſmodi indiciis jam tum, cùm ad ſpartham hanc ornandam admotus fuit, liquebat, & procedente functione ampliſſimè patefactum eſt. Omnes enim boni, ſapientis, periti, induſtrii & cordati Theologi partes religioſè, ſi quis aliùs, implevit. Nemo enim æquus unquam in eo indefeſſum ſtudium; utilitatibus communibus omnium inſerviendi induſtriam; fidem & dexteritatem in formanda in uſum Eccleſiæ juventute; ardorem tuendi & amplificandi decus Eccleſiæ & Academiæ; conſilium in rebus abſtruſis & arduis explicandis; induſtriam in gerendis; pietatem, non expreſſam illam, ſed genuinam; gravitatem & ſanctimoniam morum mirifica quadam cum ſuavitate & comitate, pari utrarumq; libra, conjunctam; moderationem in omnibus; denique in ſalute mortalium promovenda ſanctam contentionem deſideravit. Tempus publicis prælectionibus per leges Academiæ fixum adeò diligenter obivit, ut aſſiduitate docendi omnes vinceret, neque ullam horam, intercedentibus graviſſimis etiam curis, negligeret, vel inſulſa, & non priùs animo delineata acroaſi contereret. Nam quæ propoſiturus erat auditoribus, diligentiſſimè priùs meditabatur, adeò ut non ſolùm literis, ſed etiam memoriæ mandare omnia ſtuderet. quod in homine gravibus, & certatim influentibus negotiis diſtricto, inſolens meritò reputabatur; cùm non deſint, qui frigidis negotiis, & levibus cauſis induci ſe patiantur, ut otium & ferias ſuas affixis etiam ſchedis proclament. Sed huic mutatio laboris refectionis inſtar erat. Et publicis quidem prælectionibus modò Syſtema Theologicum univerſale; modò Syſtema Theologicum ex Epiſtolis Pauli nis collectum; modò Curſum Theologicum ſecundum methodum aliquot etiam Epiſtolarum S. Pauli; modò Syntagma Synallacticum & exegeticum difficultatum Scripturæ, juxta ſeriem temporum; modò Demonſtrationem religionis per notiones communes, & conſentiens iisdem reve-

virtutibus comprobatur.

Publicæ inſtitutionis ejus argumentum edifferitur.

revelationis lumen; modò Cocceji Summam Theologiæ; modò themata ſingularia, velut de perfectione Scripturæ, de Traditionibus, de Voluntate Dei circa peccatum Adami primùm; de ſemine naturali religionis; de prædeterminatione lapſus Adami; de Sacramentis; de Sacrificio Miſſæ, aliíſque ejuſmodi tradidit. Etiam Epiſtolis S. Pauli ad Romanos, Epheſios, alióſque publicis commentationibus lucem fœneratus eſt.

Privatæ inſtitutionis ſedulitas.

Nec remiſſior privatos intra parietes, crebris exercitationibus juventutem ad altiora promovit. Extant tum ſcripta ex ore diſſerentis excepta, quibus aureolum illum Cocceji de Fœdere & Teſtamento Dei libellum accuratè expoſuit: tum Collegium Exegetico-Criticum in Scriptores Eccleſiaſticos trium priorum ſeculorum: tum Geographia vernaculo idiomate conſignata, & privata induſtria civilium & ſacrarum artium ſtudioſis tradita.

Diſputationes publicas frequenter habuit, earúmque uſum probavit.

Diſputationes quinetiam frequentes publicè & privatim inſtituit, quibus juvenum ingenia poliri, judicia acui, παῤῥησίαν conciliari, veritatem animis infigi, errorũ portenta ex iiſdem profligari, & ad bella Iehovæ dextrè gerenda, ſacróque arcu feliciter jaculandum eoſdem maturè aſſuefieri haud vanè ille augurabatur. non ſemel indignatus moroſis & ſuperbis dictatoribus, qui bene & ſapienter à majoribus inſtituta invidiosè traducunt, & pipulo etiam differunt. Quorum in numero illi ſunt, qui diſputationes omnes de negotio ſalutis abolendas clamitant. Quibus id largimur, multos eſſe, qui delectantur hominum dictis & concertationibus, in quibus ratiocinatio humana cum ratiocinatione ſimili, ſuſpicio cum ſuſpicione, conjectura cum conjectura, & haud rarò ſophiſma cum ſophiſmate adverſa acie confligit. Cujuſmodi dimicationes ulceroſæ neque ad honorem Dei, neque ad ſalutem proximi faciunt, ſed inter παραδιατριβὰς, præpoſteras exercitationes hominum mentis inopia laborantium, amandandæ ſunt. Diabolus ſanè acerrimus diſputator eſt, omnia controverſiis miſcens, turbans, perturbans; ſed idem etiam diſputationum utilium hoſtis inexpiabilis

eſt,

eſt, quia iis ſe confundi ſentit. Eſt igitur omnino quædam vera & ſalutaris diſputandi ratio, qua & veritatis cognitio, & pietatis ſtudium promovetur, in eo conſiſtens, ut doctor fidelis veritatem ex Dei verbo doceat, & falſitatis cum eadem pugnam ad conſcientiam contradicentium demonſtret, denique in rebus Divinis ſoli Deo credere, omnique ratiocinationi, revelationi obnitenti, opponere, quòd nihil Deo ſimile ſit, doceat. Sic S. Paulus, ſic alii Scriptores ſacri ubique diſputant. quorum imitatione Fabricius ſimiles diſputationes tum γυμναστικὰς inter Naziræos ſuos, tum ſerias adverſus veritatis hoſtes inſtituit; ſed procul omni זדון *ſuperbia*, φιλονεικία & ex acerbatione adverſarii, qui docilis erat, & ſine ſcandalo verbi procacis, temerarii, petulantis apud averſarios, quorum lucrifaciendorum non planè conturbatam ſpem cenſuit. Quod ejus diſputationes univerſæ, Socratico more, velut inter diſſentientes, & diſſenſum ſuum per placida colloquia, molliora conſulta, & veras ἐξετάσεις diſceptantes, inſtitutæ, teſtantur. Omittere non poſſum, quin & illud commemorem, Fabricium, haud diſſimilem hactenus Pomponio Attico, comitatem cum ſeveritate miſcenti, non tantùm in vita omni, ſed etiam publicè privatimque docendo duas res ſociabiles, gravitatem atque urbanitatem ac comitatem felici temperamento ita miſcuiſſe, ut nec illa in triſtitiam, nec hæc in petulantiam procederet. Amabat enim dicteria multo ſale reſperſa, apophthegmata, & jocos, non frigidos & arceſſitos, ſed nativos & Atticos, quales etiam inter ſeria adhibiti, ubi multum ex vero traxere, acrem ſui memoriam relinquunt, & audientes multùm ad ſapientiam adjuvant. Nam & in ipſo joco aliquod boni ingenii lumen elucere, Cicero dixit. Et planè homines inſulſos atque invenuſtos Attico lepore & eloquentia ridere ſuevit. ſed ſine gravitatis detrimento, & procul omni ſermone putri. Sic enim innoxios ſuos ſales temperabat, ut hi ludi ſeria ducerent, & urbanitas iſta gravitatem non corrumperet. Nam & gravi ſubinde vultu jocabatur, & oratio ejus tum ſcribentis, tum loquentis

Gravitatem urbanitate & comitate miſcuit.

multum ſalis,neque minus, ubi neceſſitas poſtulabat,fellis habebat. Denique & illud Fabritii inſtitutionem, addo & converſationem omnem,publicam & privatam,haud mediocriter commendabat, quòd etſi cum paucis & ſapientibus ſentiebat, in rebus tamen mediis & indifferentibus, quas plus veri aut commodi habere, opinio invaluit,cum pluribus loquebatur: nihil decretorio judicio in alterutram partem ſtatuens, nec obſtinatè ſua defendens, aut alienæ ſententiæ, quanquam veritatis magis dubiæ, obſiſtens, ſed paratus cedere, ubi de re exploratiùs conſtaret; Catoni ſimilis, qui arripuit Stoicorum opinionem non diſputandi cauſa,ſed ita vivendi. Quomodo ſtylo Scripturæ, in myſteriis fidei inprimis,vehementer delectatus, crebrò tamen dicere ſolitus eſt,patrem illum, ſic jocabundus appellabat, Ariſtotelem, ejuſque linguam non iccirco penitus ex Schola exturbandam eſſe. quod mihi Theologiam, eo potiſſimùm authore, ſcribenti,ab eo ſuggeſtum memini. Poſſemus & alia inſtitutionis ejus Theologicæ πλεονεκτήματα enarrare, quæ procedenti hiſtoriæ ſervare malumus. Atque talis cùm fuerit omnis ejus inſtitutio Theologica, mirum non eſt,ad ejus auditiones publicas in Academia, & domeſticas acroaſes magnum ex omni Europa, inprimis Germania, Belgica, Helvetia,ultima Pannonia & Dacia ultro confluentium, non conductorum & redemptorum mancipum, concurſum fuiſſe,tantámque ex ejus ore lectiſſimorum juvenum multitudinem pendere ſolitam, quanta ex nullius alterius ore pendebat. Et prodierunt ex ejus officina, velut ex equo Trojano, viri doctiſſimi celeberrimíque,Regum,Electorum,Principum,Rerum publicarum Eccleſiaſtæ, Academiarúmque Profeſſores non panci, quorum lætus ex Fabritii diſciplina proventus maximo ipſi honori fuit,& erit ſemper. Sed æquo diutiùs in diverticulo hoc narratio functionis Profeſſionis Theologicæ,quæ non unius anni,ſed totius temporis illius, quo Fabritius Profeſſionem hanc obiit, tractum exæquat, nos continuit. Nunc ergo ex libero illo egreſſu in viam redimus

Ejus moderatio in rebus mediis, indifferentibus & exigui momenti.

Frequens Auditorum ad lectiones ejus confluxus.

mus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

mus. Una cum Profeſſione Theologica Elector ſtudia Filii unici, Electoralis Dignitatis Hæredis, dirigendi curam Fabritio commiſit. Præfuit enim ille Principis Adoleſcentis hypodidaſcalis, eorúmque inprimis inſtitutionem ſalutaribus legibus præclarè, ad tempus uſque pubertatis ejus, moderatus eſt. Extant regulæ, quas à ſe compoſitas, & ab Electore approbatas, Fabritius præceptoribus Principis præſcripſit, ut juxta earum amuſſim inſtitutionem dirigerent. Neque profectò nullus, vel exiguus labor ille fuit, tantæ ſpei Principis, & ad maxima quandoque evehendi, ſtudia ſic regere, ut non tantùm pietate, cujus inſita ſemina habuit, ſupra alios excelleret, ſed etiam ex præſcripto prudentiæ, ac ratione temporum quandoque populos regeret imperio, ſubditorúmque ſaluti & commodis conſuleret. Sed grave id non fuit Fabritio, prudentiſſimo inſtituendi Principis authori; niſi quòd concatenati labores, & Principis frequentandi neceſſitas à placitis ſtudiis eum nonnihil abſtraxerunt. Poſt Hottingeri Tigurum revocati diſceſſum novum onus, Collegii Sapientiæ Ephoria, Fabritii humeris impoſitum eſt, moleſtum & exercitum, ſi quod aliud. Quod jam olim etiam Urſini, Kimedontii, Quirini Reuteri, Davidis Paræi, Altingii, Toſſani, aliorúmque humeris ſederat. De fundatione & inſtitutione Collegii illius multa Henricus Altingius in hiſtoria Eccleſiarum Palatinarum dixit. quæ huc ſevocare nihil attinet. Nomen ipſum docet, Collegium iis, qui ex umbraticis ſcholis eluctati, præceptionibus & inſtitutione ſeria ad altiorem ſapientiam provehendi ſunt, deſtinatum eſſe. Collegarum indigenarum & exoticorum numerus tum à Sereniſſimi Electoris arbitrio pendebat. Horum & profectum in literis, Philoſophia & Theologia ſeparatis à publica exercitationibus adjuvare, & per diſciplinam convenientem vitam omnem regere, partium Ephori Collegii fuit. Quantum verò illud fuerit, & Academiæ commoda atque decus tueri, & Collegii illius procuratione pari induſtria deſungi, ego quidem, cùm & ipſe Collegio illi, Hottingero in ſup-

Directio ſtudiorum Principis, hæredis Electoralis, Fabritio committitur.

Nec non Ephoria Collegii Sapientiæ.

petias ab Electore datus aliquando fuerim, exactè novi. Ita prioribus Fabritii negotiis nova accreſcebant, & tot nexibus, tot quaſi catenis majus indies occupationum ejus agmen extendebatur. Neque tamen dicere attinet, quàm ille ad Ephoriam illam cum laude obeundam aptus natus fuerit, quem conſtat in regenda juventute vix parem habuiſſe. Nihil diſciplinæ, quæ educandæ juventutis nervus eſt, cuſtodia prius, antiquius nihil habuit. Cùm objurgaret vitioſos, cùm indignationi vela daret, vehemens erat & acer; ſed non indignabatur diutiùs, quàm emendationis fidem feciſſent; nec memor, nec executor offenſarum, redibat cum illis in gratiam, ſimul ac cum bona mente ſe in gratiam rediiſſe oſtenderent. Vitiis enim, non hominibus iraſcebatur. Neque per ſeria duntaxat, ſed etiam per ludum efficaciter haud raro increpabat. Hinc omnes ut ſeverum doctorem, & religioſum judicem reverebantur, & tanquam lenem patrem amabant; neque illi vel facilitas auctoritatem, vel ſeveritas amorem imminuit. Pluſque hac ratione in corrigendis peccatis, & improbis à prava vita reſtituendis profecit, quàm quibus ſemper triſti bile jecur tumet, & qui inexpiabile delinquentibus bellum indicunt, quaſi cum puris geniis, non cum hominibus depravato ingenio natis agerent. Bonos verò, obſequentes & induſtrios impensè & perſeveranter dilexit, arctáque familiaritate complexus eſt. His ſe totum aperuit, & ſecretiora etiam in ſinum effudit; horum fortunas conſilio, ope omni promovere curæ habuit. Teſtes ejus rei multi ſunt, quorum animo familiaritatis & συγκαταβάσεως illius recordatio per totam vitam obverſatur. Hottingeri porro in patriam abitu tertia Theologiæ Profeſſio vacavit. Hanc Fabritius mihi deſponderat, ſi per ipſum res ſtetiſſet. *Quid dulcius mihi*, ſic ad me ſcripſit, *ad vitam beatè tranſigendam accommodatius, quàm dulci tecum confabulatione fatigatum laboribus animum relaxare, communibus tecum conſiliis commune bonum promovere, mutuiſque in amicitia conſervanda officiis decertare? Rara quidem ſunt iſtiuſmodi conſuetudinis exempla,*

Ejus in juventute regenda dexteritas.

Heideggerum collegam ſibi dari optat.

pla. Vidi tamen, neque vidi, quin te optaverim, te cogitaverim, ut & familiaritate noſtra ferinum illud σεληνιαζομένε (myſterium voci inerat) *effatum; Omnes homines natura hoſtes eſſe, falſitatis convinceretur.* Sed poſtquam Sereniſſimo Electori fixa ſententia ſtetit, in duorum Theologiæ Profeſſorum numero acquieſcere, Fabritii votum & ſpes illa damnata eſt. Imò velut ex facili tolerantibus graviora imponi ſolent, Sereniſſimus Elector ſupra Profeſſionem Theologicam, & Ephoriam Collegii Sapientiæ, eidem etiam Profeſſionem Philoſophiæ demandavit. Quam ille patienter, ſed ad certum uſque tempus obiit, præter lectiones Theologicas quaternas ſingulis hebdomadis tribus adhuc aliis Philoſophicis, atque inſuper Diſputatione Philoſophica, habitis. Qui certè labor nimius erat, partiendus cum aliis, ſi vota Fabritii valuiſſent. Nam Gothofredum *Spinæum*, in Schola Steinſurtenſi Philoſophiæ Profeſſorem, Heidelbergam vocari ad Profeſſionem Philoſophicam obeundam optaverat. Sed irrita vota Electoris averſa à novo Profeſſore vocando voluntas reddidit. Ita ille, laboris ultra fidem patiens, ſarcinam hanc retinuit, non alio operæ pretio, quàm quòd publico ſic ſervire glorioſum ſibi duxit. Interim mox literis ad me datis ſe ſub onere faticere, &, quod reſiduum erat virium corporis & ſanitatis, deteri, queſtus eſt. Et varias etiam Meditationes Academicas circa id temporis à ſe compoſitas ſtudioſorum συζητήσει pro more expoſuit, quas paulò poſt unum in volumen redactas publicæ luci dedit, ceu, uti præfabatur, recentes, imò novos, ſed in propriis agris natos, non aliunde excantatos fructus. In univerſum de *Meditatione* nonnulla dixit, quam actionem, qua mens ex ſe ipſa depromptas, vel ſenſuum ſervitio ſubminiſtratas, vel Divinitus revelatas rerum ideas, accurato, ac proinde lento ex certis principiis examine deducto, perpendit, definivit. Ubi verò ſocia meditatio eſt, ante omnia latentes cogitationes, ope vicarii, ſermonis puta, percipi. qui qualis eſſe debeat, inveſtigat; in rebus videlicet naturalibus non barbarus & hor-

Philoſophiæ Profeſſio ejuſdem humeris ad tempus imponitur.

Meditationes varias luci expoſuit, velut de Meditatione in genere;

ri ſonus, ſed talis, qualis Ciceronis, Senecæ, Plinii, maximorum Philoſophorum, fuit; in myſteriis verò religionis talis, qualem Spiritus Dei ſanctificavit. Pudendum enim eſſe, quòd ipſo illo fidei inſtrumento, quod Scriptura eſt, & quam laudamus, non utamur, quantum poſſumus, ſed Scholaſticorum lacunas diligentiuſculè adeuntes, fiamus μιξοβάρβαροι, partim Iudaicè, partim Aſdodicè loquentes. Quanquam nec eam nos religionem, vel ſuperſtitionem potiùs, inceſſere debere admonet, ut quicquid ex Aquinate, vel Scoto petitur, horrorem nobis incutiat. Argumentum Meditationis aſpectabilem hanc mundi machinam, nos ipſos, ſacrarum literarum oracula, & per ſcalas illas aſcenſum ad primam illam Mentem, in cujus communione omnium meditationum centrum & finis conſiſtit, figit. Sed in hoc ipſo argumento meditando certos limites præſtituit. Eſſe enim quandam rerum etiam utilium profunditatem, quam excedentes nihil agant. Lineam igitur iſtam non tranſiliendam, nec nimiam ſubtilitatem affectandam; in ſacris inprimis curioſitatem compeſcendam, neque quicquam meditandum eſſe, niſi quatenus ex rei cognitione utilitas aliqua proficiſci poteſt, ſciſcit. Conditionem porrò mentis ad rite meditandum comparatæ hanc facit, quòd veritatis imagines, ceu ſpirituale aliquod catoptrum, clarè & diſtinctè, procul omni affectu, errore vel præjudicio exprimit. Cúmque genera illorum, quæ in conſiderationem veniunt, alia Authoritate dicentis, alia Ratione nitantur; illa trutina Divinorum oraculorum & teſtimoniorum; hæc Rationis, pari methodo, qua Geometræ utuntur, ex primis, certis & evidentibus veritatibus vel ſingulis, vel conjunctis, alias deducendo, inde iterum alias eliciendo, dum plenum ſcientiæ ſyſtema perficiamus, ſic tamen, ut ubi ad abyſſum & præcipitium venimus, liberè edicamus, *nobis non liquere, qua detur ultra*; neque etiam ea in re planè teſtimonium magnorum virorum negligamus, quia id impudentis & ſuperbi ingenii ſit; penſitanda ſcitè docet. Deinceps gemina Meditatione *Typum* omnium

nium

nium *Diſciplinarum* eruditè profectò, & ſupra quàm dici poteſt, ſcienter explicat. Cùm enim cogitationum humanarum infinita propemodum varietas, ſed confuſa eadem ſit, neceſſe eſſe, ut in certum ordinem & diſtinctas veluti claſſes diſpeſcantur, ut de ſingularum veritate faciliùs judicare liceat, colligit. Cúmque cogitationes noſtræ rebus ipſis, quantum fieri poteſt, conformari debeant, eidem, quem Natura poſuit, ordini ſuo ordine eas reſpondere debere, ſtatuit. Et æternam quidem Mentem illam, DEUM, & ut primum unum intellectui contemplandum; & ut ſummum bonum voluntati amandum obverſari ſapienter definiens, duplices circa eas cogitationes ſuſcipi; alias, quæ ſumma ejus erga nos beneficia, alias, quæ noſtrum erga eam officium repræſentent; atque illas Theologiam *Contemplatricem*, & Divinam ſapientiam, hanc *Actricem* & Prudentiam occupare, conſtituit. Ab altiſſimo illo Numinis faſtigio ad inferiora deſcendenti medii Deum inter & hominem cogitantem Angeli, ſeu mentes puræ à corporis conſortio liberæ, occurrunt. Quarum cognitionem *Angelographiam* dixit. Ubi verò mens in ſe ipſam redit, ſe ipſam & ſuam à corpore diſtinctionem, futuramque ſeparationem conſiderans, meditationem illarum congeriem *Phychologiam* appellavit, ejusque ſpecies *Logicam*, quæ intelligentiam & rationem univerſam dirigit, *Moralem*, quæ voluntatem per leges ex natura depromptas informat, & *Mnemonicam*, quæ Memoriam induſtria aliqua corroborat, & ſignis efficacioribus excitare & adjuvare nititur; fecit. Cúmque multa mens cogitet, & cogitare habeat, multitudine illa in unitatem collecta *Numerum*, & collectarum unitatem affectionibus diſtinctis *Arithmeticam*, cujus pars *Coſſa* ſive *Algebra* ſit, conſtituit. In corpore tum varias determinationes, *Geometriæ*, ſeu *Somatologiæ*, cujus non unam ſpeciem, puta *Geodeſiam*, *Longimetriam*, *Planimetriam*, & ubi ad uſum illa revocantur, *Mechanicam*, ſtatuit: tum extenſionem, aliasque affectiones ejus *Phyſicæ generali*; Lucem *Opticæ*, & ejusdem cum Geome-

De Typo diſciplinarum omnium.

tria

tria conjunctum uſum *Scenographiæ*; Sonorum varietatem *Phthongologiæ*; eorum proportiones *Harmonicæ*; amœnitatem *Muſicæ*; corporis gravitatem *Staticæ* & *Automato-poëticæ*; Terræ ſuperficiem, qualem natura produxit, ejúsque cum corporum cœleſtium motu collationem *Mathematicæ*; qualem verò hominum induſtria effecit, *Politicæ* ſeu *Hiſtoricæ Geographiæ*; Aquam *Hydrographiæ*, *Natatoriæ*, *Nauticæ*; Aera *Aerologiæ*; Ignem *Pyrologiæ*, quæ fundamentum præbet *Pyrotechniæ*, *Chymiæ* & *Militari*; Aeri immixtas varias exhalationes *Meteorologiæ*; Aeris incolas *Ornitologiæ*; Aquarum *Ichtyologiæ*; eoſdem ſervituti noſtræ ſubjectos *Ixeuticæ* & *Halieuticæ*; Terræ fœturam vegetantem *Phytologiæ*, *Botanicæ*, *Georgicæ*, *Coquinariæ*, *Piſtoriæ*, *Zytho-* & *Oenopoëticæ*; Pecudum greges *Bucolicæ*; capturam animalium *Venatoriæ*; Analyſin interiorum corporis partium *Anatonicæ*; Metallorum varietatem *Nerterologiæ*, eorúmque effoſſionem & præparationem *Metallurgiæ*; & ſignationem *Monetariæ*; figuras & ſignacula corporum *Phyſiognomiæ* & *Chiromantiæ*; Intemperiei corporum emendationem *Medicinæ* & *Chirurgiæ*, ex *Chymiæ* & *Pharmacopoëticæ* legibus correctæ; admirabile Cœlorum palatium, & in eo ſuſpenſas lampades *Uranometriæ*; Commutationem mercium *Mercatoriæ*; Societatem civilem *Politicæ*; domeſticam *Oeconomicæ*; Iura, quæ ſingulis in ſocietate conſtitutis competunt, *Jurisprudentiæ*; Res ante nos geſtas *Hiſtoricæ*; voces rerum vicarias, publico conſenſu rebus impoſitas, *Lexicorum* arti; Rerum notas, quæ variè afficiuntur, flectuntur & conjunguntur, *Grammaticæ*; vocum figuras *Rhetoricæ*; numeros *Poëticæ*; Diſpoſitionem *Oratoriæ*; Ligationem, ut non volatiles, ſed conſtanter vîſibiles reddantur, *Scriptoriæ*; denique ſumma rerum & cognitionum genera *Ontologiæ*, & earundem certitudinem *Primæ Philoſophiæ*, meditanda objecit. Nihil profectò tali diſciplinarum typo exactius, ſimplicius nihil excogitari potuit. Nam ordinem Naturæ ſequitur, nec quicquam eorum, quæ meditanda ſunt, negligit, & ea etiam

me-

meditanda includit, quæ utilia licet, & ſcitu digniſſima vulgò negliguntur. Deinceps de *Viis Dei*, an & quouſque ſimiles viis hominum ſint, quinque Meditationibus accuratè ediſſerit. Atrox equidem & diuturnum Scholaſticos inter bellum extitit de communi rerum natura, utrum illa à ſingularibus reapſe ſeparata, in ſpatiis neſcio quibus ſuſpenſa, præter cogitationem noſtram exiſteret, an potiùs ita ſingulis rebus immerſa eſſet, ut nonniſi opera intellectus ab iis diſtingui poſſet. Neque bellum illud ſola ingeniorum contentione Thomiſtas, Scotiſtas, & Occamiſtas inter, per tenebricoſas vitilitigationes, verùm etiam per cœdes mutuas, uti Pariſienſis & Heidelbergenſis Academiæ annales referunt, tranſigebatur. Sed Fabritio inprimis *Hobbeſii*, famoſi illius Malmesburienſis Philoſophi, ancipitis plena periculi, & ad Atheiſmum viam ſternens aſſertio, quòd Deus infinitus à finito intellectu concipi non poſſit, neque ulla utramque inter analogia vel ſimilitudo intercedat, excutiendo argumento huic anſam præbuiſſe videtur. Et *Prima* quidem Meditatione argumenta omnem Deum inter & creaturas ſimilitudinem oppugnantia ſpecioſè diducta profert; quæ *Secunda* & *Tertia* ingenioſè & efficaciter diluit. *Quarta* verò rationibus irrefragabilibus, aliquam omnino Creatorem inter & res creatas ſimilitudinem intercedere, evincit; & diſtinctionem illam Malmesburienſis, qua is convenientiam Deum inter & homines ratione exiſtentiæ, durationis intellectus, voluntatis, potentiæ, actionis, aliarúmque iſtiuſmodi perfectionum, ultro admittens, convenientiam perfectiones inter morales oppugnatũ ivit, ſolidè elidit, eo potiſſimùm argumento, quòd voluntatis perfectio conſiſtat in ſua actione, quæ tum demum perfecta cenſeatur, cùm ex optimè conſtituto principio, expeditiſſimo modo in objectum tendit. Inde enim conſequens eſſe, ut amor, qui ex ſummi Pulchri idea pleniſſimo appulſu, in excellentiſſimum bonum fertur, ultima voluntatis noſtræ perfectio ſtatuatur. Cúmque ultima voluntatis, quæ à ratione venit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

nit perfectio, ſumma moralis perfectio dicatur, & ratione voluntatis conſideratæ, principium, aliquam Deum inter & nos analogiam intercedere, in confeſſio ſit, atque quò major eſt rerum perfectio, eò major illa analogia ſit; denique perfectio moralis omni perfectioni phyſicæ antecellat, inde prono alveo deduxit, illam Deum inter & hominem convenientiam, quæ in perfectionibus moralibus fundata eſt, omnium aliarum maximam perfectiſſimámque eſſe. Addidit ipſius Dei teſtimonium, aſſerentis, quòd homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditus ſit, aliáque ejusmodi. Ultima demum Meditatione menſuram oſtendit, cujus beneficio, cùm omnino nec nulla, nec perfecta & æqualis Creatorem inter & opera ejus convenientia ſtatui debeat, quantum largiendum, quantum denegandum ſit, metiamur. Quam ille menſuram ex Dei Creatoris & Creaturæ idea ſic deprompſit, ut inde definiverit, *Viis Dei vias creaturarum ſimiles eſſe, quatenus puram ſine defectu perfectionem innuunt: Ubi verò à ſummo perfecto deficiunt, ibi protinus ſimilitudinem deficere.* quod diſtinctis quatuor attributorum generibus luculenter explicavit. Hoc labore egregiè defunctus *apologiam* pro genere humano *contra Atheiſmi calumniam* texuit, qua veritati liquidò dedit, nullam omnino gentem adeò efferatam eſſe, quin Numen aliquod agnoſcat & colat. Cúmque univerſus, & Eous cum Occiduo, & Auſtralis cum Arctoo orbe conſtanter adeò in hanc doctrinam conſpiret, ſuperioris illius Majeſtatis reverentiam inane commentum & veritatis vacuam imaginationem eſſe non poſſe, quia notitiæ illius univerſalis univerſale principium, quod non niſi natura eſſe poteſt, poſtulet, concluſit. Sed ſapienter tamen præoccupavit, per naturalem religionem ſe non genuinum, omnibus numeris abſolutum, & beatæ immortalitatis pararium Dei cultum, ſed generalem illum & imperfectum Divinitatis ſenſum, Gentibus omnibus inſitum, intelligere. Ita non tantùm veteres Germanos, Italos, Pelaſgos, inſulares zeilan, à Scharrokio; Souldanos ab

Apologiam generis humani contra calumniam Atheiſmi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

ab Herberto; Magallanicos à Laetio; Peruanos, Guajanos, novæ Mexicæ incolas, ab eodem Laetio; Braſilienſes, ſeu Tououpinambaultos, Tupæ ſeu Toupan, hoc eſt, tonitru cultores, à Lerio, Theveto, Barlæo, & eodem Laetio, Atheiſmi imprudenter inſimulatos, contra calumniam eam ſtrenuè defendit; ſed etiam teſtimonia objecta Landonnerii de Floridenſibus; Lindſchotani de Guineenſibus incolis; De Lopes Gonzalim & Nigritis, ſive Caphris in Moſambica; Moſcorum de Zemblitis; Acoſtæ de vetuſtiſſimis Americæ incolis; & Forbiſſerii de Zonis frigidis, ita ad incudem revocat, ut ex eis gentibus illis Atheiſmi invidiam conflari minimè poſſe, clariſſimè demonſtret. Et quantum momentum univerſa ea demonſtratio adverſus Atheorum ſingularium portenta habeat, proclive judicatu eſt. Agmen Meditationum harum de *Symbolica viſione* Dei Diſquiſitio claudit. Ariſtæo enim ſuo vehementer dubitanti, ecquomodo Deus ab Abrahamo, aliiſque, non quidem in ſe & eſſentia ſua, ſed in ſymbolo tamen, & aſſumpta ſpecie ſua videri potuerit; quin & dubitationis ſuæ ſpecioſas rationes opponenti, ſolidè ſatisfecit, oſtendens fusè & ſignificanter, ipſam quidem naturam rerum intrinſecus mutari, vel ex inviſibili viſibilem, ſine everſione ſui, reddi non poſſe; Sed talem tamen reddi poſſe per vicarios, qui eorum loco auditui & viſui noſtro ſeſe ingerant. Cùm enim Natura nobis facultatem conceſſerit, qua, linguæ potiſſimùm flexu, pro arbitrio, & ſine difficultate infinitos, eóſque inter ſe diſtinctos in ære ſonos edamus; nihil magis conſentaneum fuiſſe, quàm ut vocibus illis, earúmque varietate ad res ipſas, & quaſcunque differentias earum ſignificandas uteremur, adeóque auribus uſurparemus ea, quæ cæteroquin nullum à ſe ipſis ſonum ad aures noſtras transmittere poſſunt. Cùm tamen ſonus natura ſua fugax citò pereat, neque ad remotiora loca longiùs deferri queat, duplicem iſtum vocis defectum alio artificio compenſandum, & evanidum illum, atque nimis volatilem Mercurium ſic figendum &

De Symbolica viſione Dei.

ligandum fuiſſe, ut quod auditui per ſonos objiciebatur, illud ipſum viſui per figuras, non obſtantibus locorum aut temporum intervallis, exhiberetur. Imagines porro rerum in faciliorem, pleniorem & durabiliorem cognitionem nos deducere, quàm ſimplices voces aut literas; neque id in corporibus duntaxat, ſed etiam in rebus natura ſua inviſibilibus repræſentandis obtinere. Cúmque in omni repræſentatione convenientia naturalis inter imaginem, & illud, cujus eſt imago, requiratur; etiam in rerum inviſibilium repræſentatione convenientiam quampiam, non phyſicam tamen illam, ſed metaphyſicam, qua cuncta inter ſe cognatione quadam continentur, reperiri. Quia porro commercium aliquod Deum inter & homines etiam intercedat, convenientiſſimum fuiſſe, ut mutua illa converſatio ſignorum iſtiuſmodi interventu peragatur. Id quomodo fieri potuerit, & factum ſit, ampliùs explicat, atque explicatione ea ſubtiliter defunctus, omnes Ariſtæi ſcrupulos Symbolicæ viſioni obductos clariſſimè diluit. Proximo anno διάλεξιν Caſuiſticam *de Ludis Scenicis* inſtituit.

1663. *De ludis ſcenicis.*

Occaſionem inſtituti, illibenter ab ipſo ſuſcepti, ejusmodi mihi per literas ſignificavit, quòd Drama aliquod in Collegio Sapientiæ ab ejusdem alumnis exercitii gratia repræſentatum, Sereniſſimus, cùm de eo audiviſſet, in aula ſe præſente repeti juſſerit. Cúmque negotium cum applauſu quodam ſucceſſiſſet, in mandatis dediſſe Principem, ut dramata ejuſmodi, inſignem uſum habitura, frequentarentur. Sed non defuiſſe, qui ſolo nomine eo, quòd Comœdia diceretur, cùm tamen nihil in iis, niſi quod ingenuos & ſacris literis dicatos ſtudioſos deceat, repertum fuerit, offenderentur. Horum ergo vel conſcientiam informandam, vel malitiam comprimendam ſe duxiſſe. Miſſa ad me διαλέξει prima; *Nugas*, ita ad me ſcripſit, *Noſtras transmittimus, quando ſeria magis ad manus non habemus. Eæ ſi tibi non diſpliceant, deſinent nugæ eſſe. Importunitas quorundam hominum patientiam meam laceſſivit, & reluctantem adegit ad apolo-*

logeticas iſtas diſputatianes, quibus cæteroquin non delector. Certum enim, & perſuaſum mihi eſt, utiliùs tempus atque operam meam locari potuiſſe, quàm in defendendis ludicris. Verùm nobis non ſemper licet agere, ut lubet. Qui judicium Fabritium inter & accuſatores ejus, eos inprimis, qui poſt mortem Electoris invidiam illi conflaturi, cùm ſeria accuſationis capita non inveniſſent, ad ludicra ſeriò delapſi ſunt, jactantes, illum hiſtrionicam artem commendaſſe, & vel Majumæ, vel Floralium defenſionem inſtituiſſe; medium tenebant, vel illi Fabritii inſtitutum non improbabant, vel ſaltem excuſabant. Non enim ſordidè quæſtuoſam, & in nugis excogitandis perpetim occupatam hiſtrionum, vel pantomimorum artem defenderat; nec obſcœnas, & laſciviæ irritatrices fabulas repræſentandas exiſtimaverat, eaſdem firmo potiùs pectore execratus, ſed hoc unum ſcilicet pertendebat, ad inflammandum amorem virtutis, ad confirmandum vitiorum odium, ad dignoſcendos hominum mores, ad exercitandam eloquentiam, conciliandam παῤῥησίαν, caſtigandam pronuntiationem, componendos geſtus, comparandam rerum cognitionem, colendam innoxiam urbanitatem, denique honeſtam animi relaxationem, licitum, utile & quodammodo neceſſarium eſſe juventuti politiori, ut caſtas & moralium præceptionum plenas hiſtorias Dramate, hoc eſt, animata commemoratione, & viva pictura exprimat. Nihil hoc ad comœdias ab Eccleſia, imò & rectoribus ſapientibus Rerumpublicarum omnium temporum, ex Dei verbo damnatas, fecerat; & pro ſe ſtantes tot Academias, Scholas, Eccleſias, Theologos graviſſimos, magníque nominis ille citaverat, ut rigidis illis Catonibus nullo ferè negotio os clauſerit. Nemo enim cum argumentis ejus, quæ multum eruditionis interioris continent, palam confligere ſuſtinuit, niſi quòd Theologus nonnemo, pius cætera, probus & doctus, objecit, optimam etiam comœdiam hoc nomine vitioſam eſſe, quòd ſimulandi, id eſt, geſtu quamvis perſonam mentiendi artificium ſit. Sed quid

Quæ à malevolis aliisque avroſa, ab ipſomet defenditur,

ſic, regerebat Fabritius, pictoribus & ſtatuariis fiet? Aliud enim, inquiebat, eſt ſimulare, hoc eſt, repræſentare aliena; aliud ſimulare, id eſt, mentiri. An Rhethores, cùm de accommodata peonuntiationis & geſtuum conformatione præceptiones tradunt, mentiendi artificium docent? An in Academicis Diſputationibus opponentes, cùm hæreticos ſimulant, mentiuntur? Alia ejusmodi reponebat, quæ conſultò prætereo. Si erravit Fabritius, de quo hic judicare non libet, error certè hominis, & Ephori alumnorum, commodis eorum mirè invigilantis, non pecoris fuit. Proximus annus nova Fabritii humeris onera impo-

1664. ſuit. Nam & ad ipſum fatali circulo Academiæ Rectura delapſa eſt: & mox etiam Senatui Eccleſiaſtico vel invitus, diúque renitens, à Sereniſſimo Electore adſcriptus eſt. Qua poſteriore provincia ſupra modum exercita multùm ſe à libris ſuis chariſſimis abſtrahi, vel ſaltem diſtrahi, queſtus eſt. Sed ſtabat ipſi ſententia, tot labores, legitima vocatione ſibi injunctos, invicta, & domitrice omnium patientia, exequi. *Ego*, ſic ille ad me, *in piſtrino meo molo, quàm poſſum, operoſiſſimè, & ita, dum ſpiritus deficiat, molam.* Tot ergo oc-

Academiæ recturam ſuſcipit, & Senatui Eccleſiaſtico adſcribitur.

1665. cupationibus graviſſimis diſtrictus & diſtractus, à literis tamen ſe planè abſtrahi paſſus non eſt, neque Muſis ſuis planè præter viam litavit. Nam mox διάλεξιν circa *controverſiam de Perſona Chriſti*, Evangelicos inter agitatam, artifice manu elaboravit, & publico dedit. Opus non mole, ſed vi judicii, nervíſque inprimis commendabile, quo controverſiam eam tantis ſtudiis diſceptatam hactenus, & Eccleſiam in partes immani diſcidio diſtrahentem, in ſolis loquendi formulis, & ſcholaſticorum terminorum ambiguitatibus conſiſtere, adeóque revera nullam eſſe, dilucidè demonſtravit; idque more Socratico, ut cætera ferè tractare ſolebat, Eirenophilo & Philalethe collucutoribus. In exponendo Lutheranorum dogmate nec Flacios, nec Schmidlinos, at nec Calixtos, ſed nemini hodie ſuſpectum, ſingularis eruditionis & præſtantis ingenii Theologum Gerhardum ſequi placuit, cujus proin propoſitiones de Unio-

Διάλεξιν circa controverſiam de Perſona Chriſti edit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Unionis hypoſtaticæ forma & natura,& communicatione tum hypoſtaſeos, tum naturarum, tum idiomatum ita ad incudem revocavit, & cum Reformatorum Theologorum ſententiis comparavit, ut utrorumque diſſenſum in re ipſa nullum, in ſolis vocibus terminiſque ambiguis & ſcholaſticis conſiſtere, jubare meridiano clariùs patefecerit. Qui pio & attento animo iſthanc διάλεξιν legere dignabitur, is penetrans in intima viri judicium, & criſin Theologicam longè exactiſſimam mirabitur,ſimulque Eccleſiarum Proteſtantium,propter fallaces verborum ambiguitates, & nugatorias Scholaſticorum ſtrophas fœdè adeò diſtractarum, miſerandam ſortem deplorabit magis. Non memini quemquam diverſarum partium hactenus Fabritii illam demonſtrationem falſi convincere ſuſtinuiſſe. adeò clara, aperta,& quantum ego exiſtimavi ſemper, irrefragabilis illa eſt. Nam quæ utcunque adverſus eam triennio poſt lacertos ſuos movit,Anonymus, imbelli admodum manu, pauca tela, eaque non ſemel fracta, διάλεξιν nec lædentia, nec tangentia,ex latebris in Fabritium contorſit, contemni potiùs, quàm retundi merebantur, cùm nec famæ, nec cauſæ Fabritii interfuerit,ut cum ſpectris quibuſvis,& ex obſcuro pugnantibus mirmillonibus decertaret. Neque profectò deerant,qui Anonymum non Lutheri,ſed Socini diſcipulum fuiſſe,conjectarent. Nam & à Chemmitio, Gerhardo, aliiſque hujus claſſis Theologis planè is diſſidebat, & Arianorum ac Socinianorum hypotheſes aſſumebat,ut credibile fuerit,aliquem de grege iſto ſub Fratris Lutherani nomine, hominibus in fide ſimplicibus obrepere, & venenum ſuum ſalutari doctrinæ immixtum incautis propinare voluiſſe. Sed de eo quicquid ſit,Fabritius,nomine aſſumto *Jacobi Danielis Humberti*,epiſtolam ad Ioh.Iacobum Reckium ſcribens,Anonymi illius tricas adeò efficaciter retudit, planè ut eum ad ἐχεμυθίαν redigeret. Nam poſthac nec proprio,nec tecto nomine ſe movere viſus, vel auditus eſt. Alius tamen A.MDCLXX. Lipſiæ,approbante tota Facultate,furioſè in ipſum ſcripſit,

Eam adverſus Anonymum tuetur: ſpretis alius etiam Lipſienſis convitiis.

Cacodæmonem & infeſtum Draconem appellans, aliáque convitia in eum, nulla ſibi injuria cognitum, evomens. *Quid agam?* inquiebat Fabritius; *Tacebo, & Deum rogabo, ut hominum iſtiuſmodi intemperiem emendet*. Adeò adverſus convitia firmum patientémque animum habuit, reputans etiam, citò gloriam in ſordidis hoſtibus obſoleſcere, nec quicquam indignius eſſe, quàm ibi eam conſumi, ubi oſtendi non poſſit. Ex adverſo non deerant partium diverſarum cordati Theologi, qui ſcripto Fabritii album potiùs, quàm nigrum calculum adjicerent. Nam Theologus Lutheranus ſummi judicii, lectiſſimæque eruditionis, Waltherus *Molanus*, approbante celeberrimo *Hennichio*, Diſputatione de Communicatione idiomatum Rintelii eodem anno MDCLXV. impreſſa, ſcribere non dubitavit, *Meditationem illam, à quocunque auctore profecta ſit, talem eſſe, ut enuntiare vix poſſit, quantopere ſibi probetur, ſéque confidere, eam pleriſque probatum iri, qui rem* ἄνευ παθῶν *ponderare potiùs, quàm ſuſpicionibus nequicquam indulgere præoptent*. Quin & repertus alius earundem partium eſt, qui ſibi in votis enixis eſſe teſtaretur, ut pari methodo de Prædeſtinatione controverſiam expediret. Ac ne quid diſſimulem, ipſe quoque acres ei ſtimulos ſubdideram, ut litem illam de Prædeſtinatione, utpote in qua hodie diſſentientes averſi à nobis animi ſententiæq; ſuæ proram & puppim collocent, pari judicio & methodo exigat. Quod facili negotio à ſe fieri poſſe, &, ubi cæteræ occupationes otium indulſerint, ſe facturum reſpondit. Sed concatenata negotia nec quietem illi indulſerunt, & propoſiti oblivionem induxerunt. Ego nonnihil in via Manuductionis ad concordiam Proteſtantium cùm tentaſſem, haud illa ſibi improbari, ſaltem quoad criſin momenti controverſiæ, teſtatus eſt. Eodem ferè tempore Caſuiſticam Διάλεξιν Theophilum inter & Euſebium de *Baptiſmo infantibus heterodoxorum conferendo* edidit. Ejus prior pars hærebat adhuc in generalibus; ubi Eubulus Theophilo ſuo, ſcrupulo neſcio quo divexato, oſtendit, vitandam eſſe cogitationem de

Lutherani moderatiores eam dilaudant.

Caſuiſticam Διάλεξιν *de Baptiſmo infantibus heterodoxorum conferendo divulgat.*

iis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

iis rebus, ex quibus ſcrupuli oriuntur: & ſi ſcrupuli ejuſmodi amoveri non poſſint, quin moleſti adhuc ſint, conſultum & licitum eſſe contra iſtiuſmodi ſcrupulos agere. Cúmque ſcrupulus ille, qui Theophilum urebat, in eo conſtiterit, an fas ſit parere Magiſtratui mandanti id, de quo certò non conſtat, an voluntati Divinæ conſentaneum ſit? Eubulus, parendum eſſe Magiſtratui in omnibus, exceptis iis, de quibus certiſſimè evidentiſſiméquo conſtat, quòd Legi Divinæ adverſentur, nullo habito diſcrimine, ſive ad Religionem, ſive ad civilem vitam pertineant. Nam quòd Magiſtratui parendum ſit, Dei voluntatem irrefragabilem eſſe: cui non qualiſcunque ſcrupulus, ſed ſola voluntas Dei certò explorata, vetans facere, quod Magiſtratus jubet, vel mandans facere, quod ille vetat, opponi debeat; inprimis, ſi, quod Theophilus fatebatur, actio à Magiſtratu juſſa etiam anteceſſorum exemplis firmetur, doctorum & piorum fratrum judicio approbetur, longa Eccleſiæ praxi recepta ſit, & ſcrupuloſus talis ſolenni juramento ad Eccleſiaſticæ Liturgiæ obſervantiam obſtrictus ſit. Poſteriori parte caſum Theophili his verbis proponit: *An Verbi Divini Miniſter integra cum conſcientia eos infantulos baptizare poſſit ac debeat, qui ab utroque parente, avis etiam & atavis Pontificiis prognati, ad baptizandum ei offeruntur, non ex libera Parentum voluntate, non ex aliqua erga religionem noſtram amore, ſed vi & coactione legis civilis, ea conditione, ut parentibus integra maneat poteſtas liberos ſuos pro lubitu in iis, quos ſectantur, erroribus educandi, nec Paſtori, Sponſoribus, vel cuiquam alii ullum ad Eccleſias noſtras eos pertrahendi & inſtruendi jus competat?* Negabat Theophilus, pertendens, & Fœderis Divini naturam, & eam, quæ Sacramentis debetur, reverentiam, & ſacri Codicis præſcripta, & fidei analogiam, & ipſam rectam rationem, & communem denique totius Eccleſiæ, omniumque ejus Doctorum ſententiam ab iſtiuſmodi Baptiſmo abhorrere. Cum rationibus his Eubulus velitari potiùs, quàm confligere cœperat. Sed cœperat duntaxat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

telam,quod dolendum, ſaltem publico ſcripto non pertexens. Fas tamen mihi eſt credere, quæſtionem juxta ea, quæ priore jam parte dixerat, & quæ poſthac de limitibus obſequii humani dicturus erat, deciſurum fuiſſe; certius nimirum eſſe jure Divino, quod Magiſtratui parendum ſit, quàm quòd Baptiſmus talis illicitus ſit, & voluntati Dei repugnet.

1666. Palatinatu Lotharingico bello turbato, Fabritius ab Electore Schaphuſium mittitur.

Interea Palatinatus tranquillitatem Lotharingicum bellum eidem illatum turbaverat. Bellum non eſſe, quod gerebatur, ſed latrocinia tantùm exerceri, Fabritius dictitaverat, deplorans afflictum Palatinatus ſtatum, futurum etiam afflictiorem, niſi Sereniſſimi Principis prudentia & fortitudo eum ſuſtineret. Quanquam & illud dolebat, eos, quorum cura Princeps utebatur, adeò inertes & oſcitantes eſſe, ut vix quicquam rectè expediant. Occaſione hac idem Sereniſſimus Elector Fridericum *Böckelmannum*, de cauſis belli, aliiſque ad Helvetiæ Evangelicæ Cantones nonnulla relaturum, legavit, & Scaphuſium etiam *Fabritium*, qui apud Proceres Reipublicæ ſimilia referret, ſummiſit. Ego legatum Bökelmannum, confecto Tiguri negotio, Schaphuſium diſcedentem comitatus, Fabritio ibidem ovans geſtiensque occurri, & cum eodem bidui ferè moram per converſationem jucundiſſimam, & utiliſſima de Eccleſia, literis, & ſecretioribus etiam, qualia amicos inter, arctiore familiaritate conjunctos, agitari ſolent, colloquia contrivi. Sed mox Palatinatus, deſæviente per honeſtam pacem tempeſtate, turbinem iſtum evaſit.

Euclidem Catholicum, Epiſtolis ſeptem diſtinctum, & Walenburgiis inſcriptum, publici juris facit. Genus ſcriptionis mimeticæ & ſar-

Tum igitur Fabritius, Muſis ſuis redditus, ad ſcribendum *Euclidem Catholicum*, hoc eſt, *Demonſtrationem Romanæ fidei ex primis, certis, & evidentibus principiis, Mathematica methodo, & connexis continua ſerie propoſitionibus, deductam*, animum appulit. Quem etiam Euclidem nomine *Jani Alexandri Ferrarii*, Cœnobitæ Auguſtiniani, Adriano & Petro Walenburgiis inſcriptum, in lucem protulit. Genus hoc ſcriptionis ſingulare delegit, quod ad mimeſin, an σαρκασμὸν, an μυκτηρισμὸν referri debeat, in incerto mihi judicium eſt. Ironia equidem eſt, ſed non ſimplex, vel mitior illa, ad quam

Rhe-

Rhetores χαριεντισμὸν, ἀστεισμὸν & ἀκκισμὸν referunt; ſed ex ſimplice & paulò acerbiore mixta, & cum μυκτηρισμῷ conjuncta; qua Promachorum Papatus in conſtituenda & protegenda Hierarchia ſpecie ſpirituali, ſed reapſe carnali & Epicuræa, non tam verba, quàm latentem animi notionem evolutam, velut ex mente ſua, proponit, & egregiè ludificatur. Neque enim petulantis vel inverecundi, ſed ſapientis & cordati eſt, hoſtes veritatis verbi Dei luce aperta toties convictos, & in errore obfirmatos, quinimò religionis ſpecie ventris duntaxat curæ deditos, adeóque φιλήδονας magis, quam φιλοθέους, Seductores inprimis, qualium noviſſimis temporibus proventum magnum fore prædictum eſt, ludos habere, cùm & hæc juſta talium pœna ſit; & Deus ipſe Protoplaſtos, Elias Baalis ſacerdotes, S. Paulus Pſeudapoſtolos, Clemens, Tertullianus, Theodoretus, Lactantius, Auguſtinus paganos Sophiſtas, Hermannus ille Philoſophus Chriſtianus, edito libro, cui titulum *Illuſionis Gentium* fecit, Philoſophos paganos, atque non ita pridem Illuſtris ille Philippus Marnixius Sanctaldegondanus Pontificios præfractos, irriſerint, ludibrióque meritiſſimo expoſuerint. Hæc enim illa διπλᾶ *duplicia* ſunt, quæ Babyloni διπλῶν *duplicare* Deus juſſit ſanctos, ſtrenua eorum convictio, & publica confuſio. Nam & riſus pretium eſt, ſi utilitatis & probitatis compendio conſtet. *caſtiea exponitur, & defenditur.*

Fabritio res erat cum Walenburgiis Fratribus. quos ante omnia ironicè laudavit, quòd pro admirando ingenii ſui acumine probè perſpexerint, adverſus hæreticos non peremptoriis, ad ipſam cauſam pertinentibus argumentis, quæ facilè ab hæreticis diluuntur, decernendum eſſe, ſed vel dilatoriis exceptionibus utendum, ad declinandum Scripturæ forum, judicéſque omnes, præter Pontificem, recuſandos; vel diuturnæ poſſeſſionis ac præſcriptionis titulum obtendendum, prolixáſque de ſpolio querelas ordiundas eſſe. Deprehendiſſe ſcilicet illos, quòd controverſiæ, quæ Catholicos inter & hæreticos agitantur, non in ſacro & religioſo, ſed forenſi & politio cauſarum genere *Euclides Catholicus Walenburgiis, miſſis peremptoriis argumentis ad dilatoria, quibus forum Scripturæ declinatur, ſe convertentibus, illuditur.*

 ver-

verſentur. Quid enim alias, inquiebat ille, contra veritatem præſcriptio, quid pro errore poſſeſſio valeret? Non ergo eos de Religione, ſed de Imperio; non de Fide, ſed de Obedientia diſceptare; ac dum adeò anxiè & ſolicitè hæreticos in Eccleſiæ ſinum reducere, omnéſque ſeceſſionis cauſas iis eripere conantur, id unum eos contendere, ut Eccleſiæ imperio eos denuo ſubjiciant, partáque libertate exuant. Dici non poſſe, ait Ferrarius, quanta, quámque mirifica luce ſubitò mentem ſuam cogitatio iſthæc perfuderit; adeò ut argumentum iſthoc poſthac omni arte & cura excolendum putet. Nam huic agendi modo conſimilem quoque materiam, concluſioni convenientia principia, ac theſi commodas hypotheſes adaptandas eſſe, ut quæ Catholicorum doctrina Scripturæ teſtimoniis, & Veterum Theologorum principiis propugnari haud poterat, non forenſi ſolùm Marte defendatur, ſed ex reconditiſſimis quoque civilis prudentiæ axiomatibus demonſtretur. Id ubi præſtitum fuerit, nemini ampliùs dubium fore, ad ſtabiliendum tantum, támque latè per omnes terrarum regiones diffuſum, & in ipſos potentiſſimos Imperatores, Reges & Principes, quantumvis invitos & reluctantes, extenſum Imperium, cui nec par, nec ſimile unquam extitit, plus quàm humana prudentia opus fuiſſe; nec poſthac quemquam inducturum animum, ut credat, ſola eloquentia inermi effici potuiſſe, ut imbellis homuncio, pauperculi Piſcatoris ſucceſſor, ferociſſimorum Imperatorum colla impune calcaverit; Reges ſolo nutu Regno excuſſerit; ipſas Cœlorum fores pro arbitrio increpandi, eáſque dicto claudendi & reſerandi, &, quotquot lubuerit, hominum millia ad atras inferorum ſedes detrudendi, atque inde reducendi poteſtatem habere creditus fuerit; ut denique ſub extremi & æterni ſupplicii metu, ceu viſibile quoddam in terris Numen, non à rudibus & barbaris, ſed à politiſſimis quoque omnium fere terrarum gentibus adoratus fuerit. Tum Papæ religionem & imperium Divinum eſſe, Ferrarius probat, quia rationis omnis deſtructio,

Demonſtratio ludicra Divinitatis

qua-

qualis per illud fit, rationi; faſcinatio omnium ſenſuum in transſubſtantiatione ſenſibus tribui non poſſit, & Divina, quæ Apoſtolis obtigit, prudentia cum Papali comparata, mera ſtultitia ſit, nec ſacri hujus dominii fabricatrix extiterit, adeóque diviniſſima ſit, quia Divinam longè ſuperat; & omnis poteſtas, qualem certè ampliſſimam Papa poſſidet, à Deo, adeóque Divina ſit; & tanta excogitata inſidiarum ſtrues, adhibita machinarum vis, & multitudo, quibus terrarum Domini à longo tempore ſacrum illud imperium convellere non potuerint; & oracula Divina illud per multa ſecula duraturum portenderint, quin & Deus ipſe eo fini erroris ſpiritum, atque efficaciam ſeductionis humano generi quàm largiſſimè ſe effuſurum promiſerit. Demonſtrationi ſuæ Euclideæ tria fundamenta, Definitionem, Axioma, & Poſtulatum ſubſternit. *Definitio* eſt Eccleſiæ; quam ille *Imperium ſpirituale, ſed viſibile, quo homines fidem ab uno ſpirituali, ſed viſibili capite, Pontifice ſcilicet Romano, præſcriptam profitentur, conformémque ei obedientiam præſtant.* Tum & *Axioma* illud præſtruit, quòd *quicquid ad Eccleſiæ hujus defenſionē atque amplificationem facit, id omne & ſolum cenſeri verum, pium & ſanctum debeat.* Denique *Poſtulatum* ſubjungit, quòd *Eccleſiam hanc ad fines uſque terræ extendere liceat.* Romanæ porrò Eccleſiæ Divinitatem non inter demonſtrandas veritates collocandam, ſed pro principio, adeóque indemonſtrabili ita habendam, ut quiſquis hoc principium negaverit, vel contra illud diſputaverit, ceu Sponſæ Chriſti violator, & Reipublicæ ſacræ proditor; non verbis, ſed verberibus excipi mereatur, Ferrarius ſciſcit. Cúmque indemonſtrabilia dicantur, vel quæ ob falſitatem, vel perplexitatem atque incertitudinem demonſtrari non poſſunt; vel quæ apertam veritatis lucem habent, ut cognitis terminis aſſenſum impetrent; vel quæ jam demonſtrata ſunt, & ulteriore probatione non indigent; illam Eccleſiæ & imperii Divinitatem, ceu principium religionis illius, omnibus modis iſtis indemonſtrabilem eſſe evincit; quia & falſa atque

imperii & religionis Papæ.

Romanæ Eccleſiæ Divinitatem pro principio indemonſtrabili habendam eſſe, per luſum aſtruit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

incerta, credi tamen debet, adeóque odore quodam imbutus, hoc eſt, ita comparatus, ut ſine ulla ratiocinatione aut erroris formidine, in utrumvis, quod ajunt, oculum Eccleſiæ Romanæ indormiat, & pro ſcientiæ & fidei extremo venerabile iſtud & viro dignum: *Ipſa dixit*, habeat; cognitis terminis, & clauſis oculis, ultro veritati illi aſſentiatur; & demonſtrata ſit, ſaltem à poſteriori, uti argumenta ſupra allata evincant. Denique veritati illi ſuffragari ait teſtes, qui de Romanæ Eccleſiæ Majeſtate ſcripſerunt, inprimis Campanellam; imò etiam teſtem Iohannem in Apocalypſi, prædicentem, fore ut Eccleſiæ ſepticolli à Deo detur bellum facere cum ſanctis, & eos vincere; & ut adorent eam omnes habitantes in terra; & ut ſedeat, inſtar Reginæ, nunquam vidua futura, vel luctum viſura; & ut à portis inferorum non ſuperetur, quia alias Sathanas adverſus ſe diſſideret, neque Regnum ejus ſtare poſſet. Hoc principio indemonſtrabili ſuppoſito, pergit Ferrarius ad demonſtrationem de verbo Dei, eámque octo propoſitionibus ab hæreticis in controverſiam vocatis, exequitur. cujuſmodi ſunt: *Quòd* ad obtinendam ſalutem (hoc eſt, aſpectabilis illius, quod ſub Chriſti nomine Vicarius ejus in terris exercet, dominii magnitudinem & perpetuitatem) Religio aliqua abſolutè neceſſaria ſit; *Quòd* religio Naturalis ad ſalutem non ſufficiat, quia ex ſolo lumine naturæ non conſtet, Pontificem Romanum eſſe Dominum univerſi, nec myſterium hoc omnibus gentibus revelatum ſit: *Quòd* ad obtinendam ſalutem, ſive Regalem Pontificatum Romæ ſtabiliendum & conſervandum, præter religionem naturalem opus ſit alia aliqua, quæ ſupernaturalis dicitur, quia ſimplici illo, quem Natura omnes edocuit, cultu vix ulla unquam civitas contenta fuit, ſed ſemper eum vel ceremoniarum illuſtravit ſplendore, vel novorum dogmatum acceſſione auxit; & ſolennior illa atque operoſior Divini cultus pompa inprimis neceſſaria eſt ei imperio, quod totum quantum eſt, in ſacri choragii inſtitutione, defenſione & amplificatione conſiſtit:

Demonſtrationes contra verbum Dei octo regulis per ludibrium exequitur.

ſiſtit:

ſiſtit: *Quòd* Religio illa ſupernaturalis ita debeat eſſe comparata, ut ex ſe & principiorum ſuorum natura ad ſalutem collineet: *Quòd* religionem eam ſupernaturalem, quæ per Anteceſſorum ſive inſcitiam & imprudentiam, ſive malitiam, ſive contraria ſtudia jam invaluit, & ad ſalutem noſtram non conducit, deleri oporteat, quia media non ſunt niſi propter finem, adeóque & hoc ſublato tolluntur: *Quòd* illa Religio ſupernaturalis, quæ ad ſalutem non conducit, quàm ocyſſimè uno impetu & aperta vi deſtrui debeat, modò id tutò & commodè fieri poſſit; ſin, carptim ac ſenſim, lentíſque artibus, & laneis pedibus immutanda ſit, ſervata ſemper eadem externa ſpecie & larva, donec ad ſalutem comparandam perfectè qualificata ſit: *Quòd* Religio, quam Chriſtianam vocant, prout à Chriſti Apoſtolis primùm tradita fuit, ex ſe & principiorum ſuorum natura ad ſalutem ſit ineptiſſima, ac proin illi Evangelii præcones ab ipſo Catholicæ doctrinæ fundamento, totiúſque fidei ſcopo enormiter aberraverint, quia Apoſtoli cùm nihil altum ſapuerint, ſed dejectis animis nonniſi plebejas virtutes, modeſtiam ſcilicet & humilitatem commendaverint, quibus Eccleſiæ non ſalus ſolùm impeditur, ſed univerſa ſtructura funditus labefactatur, non potuerint non ab ipſo Catholicæ fidei fundamento, fideique ſcopo penitus aberrare: *Quòd* denique, licet Religio Chriſtiana à ſcopo Eccleſiæ Romanæ, quæ ſola ſalutaris ſit, immane quantum abhorreat, minimè tamen conſultum videatur, ut, ubi rationibus approbata, conſuetudine introducta, & Principum auctoritate ſtabilita eſt, aperta ejus ruina violento molimine & uno impetu tentetur. quod exemplo Muhammedis; nec non judicio ſummi, & in fabricandis religionibus exercitatiſſimi Guilhelmi Poſtelli, Campanellæ, Didaci de Moralez, & Machiavelli fuſiùs demonſtrat, concludens; Cùm rerum Eccleſiæ Catholicæ ſtatus non permittat, ut Chriſtus aperta violentia è medio tollatur, conſultum eſſe, eum lenta tabe confici, & ſimul, dum contabeſcit, artibus Babyloniis, vel Ægyptiacis, Mumiæ inſtar, condiri, in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

incruſtari & pingi, ut vivi & ſucculenti corporis imagine hebetioribus imponat. quarum artium tractationem, favente Spiritu Papæ, promiſerat. Hic Euclidis Catholici tenor eſt, quem de induſtria lectori repræſentavimus, ut ad libellum, quo jugulum Papatus petitur, & religionis ſimulachris obducta atque velata irreligioſorum hominum ambitio & avaritia in apricum producitur, attentiùs legendum ſalivam aliis moveremus. Adeò ſcriptionis iſthoc genus viris doctiſſimis placuit, ut libellus ille ex Latino in Belgicum & Anglicum idioma translatus lucem aſpexerit. Walenburgii certè fratres, haud dedignaturi certamine tanti judicii & nominis Theologum, qui cum minoribus ipſo in certamen antehac deſcenderant, ne mutire quidem. Expaveſcebant enim ingenium viri, perſpicax nimis, & detegendis fraudum involucris, atque diſſolvendis ænigmatum ſcirpis nobile. Et vix dubitari poteſt, quin tali acu rem tangi cernentes, in ſinu riſerint, & novo huic ſive Euclidi, ſive Archimedi tacitè applauſerint, gaudentes ſcilicet, harpagonum inſtar, ſe rem habere, quocunque demum modo habeant. Unus *Brevingius*, neſcio quis Scholaſticus, impar licet huic congreſſui, auſus tamen eſt eminus cum Euclide congredi, cui mox helleborum bibendum Ferrarius præbuit. Paulò poſt Iohannes Amos *Comenius*, Vir Celebris admodum, non per literas duntaxat ſed etiam per patientiam crucis, quam in longo exilio religionis cauſa ſuſtinuit, Fabritio Lucem in Tenebris, qua Cotteri, Poniatoviæ, & Drabitii viſiones & vaticinia illa nova comprehenduntur, transmiſit, & ab eodem judicii de iiſdem, Poniatoviæ præprimis viſionibus, teſtimonium expetiit. Satis conſtat, vaticinia illa, & cum iiſdem Comenium ipſum, virum optimum & religioſiſſimum, ſed viſum nonnullis plus æquo credulum, diverſorum judiciorum aleam ſubiviſſe. Viro integerrimo, optimè de ſe merito, inſultare auſus eſt Nicolaus *Arnoldus*, cui viciſſim ingratitudinis notam publicè Comenius inuſſit. Erant qui ſevero & amaro judicio cuncta ad Sathanam autho-

Walenburgiis tacentibus, Brevingius Scholaſticus contra Euclidem inſurgit.

Fabritius de viſionibus & revelationibus novis à Comenio conſultus ſententiam dicit.

thorem referrent. Alii ſine diſcrimine laudarunt: alii partem probaverunt, partem improbaverunt: alii ſolum eventum, ceu arbitrum oraculorum talium, operiri juſſerunt: alii aliud cenſuerunt. Fabritius, cui bonos & afflictos ſuſpicionibus onerare grave nimis viſum, dictis, prædictis & viſis nil ſupra naturam & imaginationis morbum, tot adverſis & calamitatibus, quas à perſecutoribus ipſi aliique optimi quique in Sileſia, Bohemia, Moravia, Auſtria, alibíque ſuſtinebant, natum & auctum, ineſſe judicavit. Homines nempe cætera bonos & píos, lectioni Scripturarum, Prophetiarum inprimis, vehementer deditos, & colloquiis conſolantium de ſpe melioris ævi, & Dei approximantis auxilio erectos, atque inſuper à perſecutoribus, veritatis hoſtibus acerrimis, irritatos & abreptos, facilè judicia Dei, qualia is per Prophetas Eccleſiæ hoſtibus repræſentavit, hodiernis Eccleſiæ perſecutoribus applicare, & quandoque etiam feliciter, cùm Deus ſibi in judiciis ſuis conſtet. Accedere potuiſſe tum imaginationis, quam res adverſæ intendunt, præcipuum robur: tum ex mentis nimia contentione, ſive alia de cauſa præternaturalem aliquam ſpirituum cerebri, nobiliorúmque partium intemperiem, & affectum non ſimplicem, ſed ex melancholica forte, hyſterica, aliiſque paſſionibus mixtum. unde & dolores, & languores, & alienationes mentis, & mortis imago, & vitæ recuperatæ ſpecies, & alia, quæ ipſis acciderunt, provenerint. quales effectus omnes ex iiſdem cauſis jam olim Medici in ægrotis ſuis deprehenderint. Cùm ergo, Poniatovia paroxyſmo laborabat, non aliud commotæ menti faciliùs vel crebriùs ſe obtuliſſe, quàm iſtuc, quod firmiſſimè ipſi impreſſum erat. Quæ verò facultatis vaticinandi indicia in novis illis vatibus *νομιζομένοις* ſe deprehendiſſe alii, ipſe inprimis Comenius, exiſtimarunt, illa ad calculos revocata, non omnino reſpondere, cenſuit. Memini Theologum Helvetium haud infimæ notæ in convivio, quo liberaliſſimo Reipublicæ Proceres & Eccleſiæ Præſides Fabritium & me Genevam paucos ante an-

Theologi Helvetii de iiſdem feſtiva ſententia.

nos commeantes exceperant, cùm de judiciis Dei adverſus hoſtes, & Eccleſiæ afflictæ liberatione ſermo incidiſſet, ſic ſententiam ſuam explicare, quòd cùm tot ærumnis & calamitatibus genus Mortalium obnoxium ſit, nec Morpheo, ſomni miniſtro, ſuavia multa, per quæ miſeri levantur, & velut adhibitis ſolatiis non parùm demulcentur & ſuſtentantur, ſuggerenti indignandum, nec miſeris, qui talibus malagmatis reficiuntur, conſolatio ejusmodi invidenda ſit.

1668.

A Joh. Duræo in partem negotii Irenici vocatus, intercedente Electore, operam negat.

Quæ feſtiva ſententia adeò Fabritio placebat, ut non ſemel ejus leporem cum voluptate quadam commendaret. Paulò poſt etiam Iohannes *Duræus*, Theologus Scoto-Britannus εἰρηνοποιὸς celeberrimus, Epiſtolis pluribus ad Senatum Heidelbergenſem, & ſeorſim ad Fabritium, denique & ipſum Sereniſſimum Electorem datis, ſeriò negotium ſuum irenicum commendavit. Sed Fabritio, Irenicis ſtudiis diu addictiſſimo, impensè dolebat, quòd ſe miſcere negotio Duræi auſus non eſt, intercedente ipſo Sereniſſimo Principe, occultas ob cauſas. Scripſit igitur ad Duræum die 30. April. MDCLXVIII. fruſtra illum opem à Senatu Eccleſiaſtico expectare, & poſſe ipſum, ſalva voti religione, à propoſito apud Electorem & Senatu urgendo deſiſtere. Si ſuis auſpiciis res gererentur, indulgentiorem fore: Verùm rationibus Principis, quas nequidem pervideat, acquieſcendum eſſe. Ita Vir optimus & honeſtiſſimi propoſiti, quod omnes laudabant, pauci efficaciter juvabant, deſertus à pleriſque Siſyphi ſaxum volvere, Caſſellis deſidens, paulatim deſiit.

1669.

De ineundo matrimonio cogitat, & Virginem Nobiliſſimam Agnetem Sibyllam de Bilderbeck ducit.

Cœlibem vitam Fabritius ad annum uſque ætatis trigeſimum ſeptimum traduxerat. Sed ne optimi vitæ dies in viduo thoro effluerent, nunc demum animum induxit vitæ fortunæque omnis ſociam quærere, quam nuptiarum fœdere ſibi jungeret, perſuaſus, non aliud fœdus eſſe firmius, non aliud conſortium in rebus ſecundis dubiiſque fidelius, non aliud curarum laborúmque, quos vita hæc fert, levamentum eſſe ſuavius honeſtiúsque. Et votorum ſuorum ſummam ſe conſecuturum eſſe, dummodo fœmina quieti & placidi ingenii, nec mo-

roſa

roſa, nec nimis facilis ſibi obtingeret, non ſemel literis ad me datis teſtatus eſt. Facilem & hic ſuis votis fortunam habuit. Reperiſſe enim ſe, propitio Numine, Virginem, qualem maximè optaverat, natalibus claram, maturam annis, ingenio placidam, moribus probatiſſimam, nec Palatinam, nec nimiùm longè petitam, & dote ſatis ampla pollentem, lætus ovánsque, nondum tamen edito ejus indicio, ad me ſcripſit. Mox tamen, ut de loco ſaltem mihi conſtaret, cùm Diſſertationem de votivis peregrinationibus ad ipſum miſiſſem, feſtivè reſpondit, ſe inſuper habita mea de Peregrinationibus ſententia, votivam peregrinationem ad undecim Virginum Colonienſium millia ſuſcepiſſe. Tandem levato velo, *Res*, inquiebat, *cecidit feliciter; imò ſupra votum. Coloniæ Virginem lectiſſimam*, AGNETEM SIBYLLAM de BILDERBEK *duxi. Omnia exactè deſideriis meis reſpondent, Familia, ingenium, indoles, modeſtia, opes.* De Familia Sponſæ id unum dicere habeo, nobilem ſplendidamque eſſe. Nam Parens, æquè ac Avus Sponſæ, cognominis uterque, Nobiliſſimi & conſpectiſſimæ dignitatis viri, HENRICI de BILDERBECK, Præpotentum Fœderati Belgii Ordinum nomine Coloniæ Agrippinæ Reſidentium munere magna cum laude defuncti ſunt; neque minori cum laude eodem hodiéque Nobiliſſimus & Ampliſſimus HENRICUS de BILDERBECK, Henricorum nepos & filius, & Fabriciæ germanus, defungitur. Parens Gandavi Flandriæ natus, una cum Avo per religionis cauſam exulatum Coloniam ivit. Ubi miniſterio illi, quod diximus, utrique admoti, maxima cum fide, induſtria & gloria illud obiverunt. Mater Sponſæ ANNA FRANSCHIS, ex Brabantia oriunda, per eandem religionis cauſam patria extorris, matrona laude pietatis, & morum ſanctimoniæ integerrimæ præcellens, fuit. Talibus parentibus ſata Agnes Sibylla Coloniæ in Fabritii manus Ianuario Anni MDCLXIX. convenit. De ea, marito optimo hodiéque ſuperſtite, mihi religio eſt vel nihil dicere, vel multa dicere. Illud enim Fabritio inglorium foret:

Familiæ Bilderbeckianæ deſcriptio.

Nuptiæ cum Sponſa, de qua ob modeſtiam ejus pauca

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

dicuntur, celebrat. ret: hoc ne facerem, ipſamet pro ſumma modeſtia, qua ſe non gloriari, niſi in infirmitate ſua, profitetur, me obteſtata eſt. Reſtat igitur, ut pauca dicam, eſſe eam in numero ſanctarum fœminarum, quæ ſperabant in Deo, & ornatum ſuum ducebant, ſe per amorem caſtiſſimum ſubjicere propriis viris; genuinam filiam Saræ, bene & bona facientem, neque ullam conſternationem timentem. Vixit cum marito optimo viginti ſeptem annos non ſolùm ſine querela, ſed etiam mira concordia, per mutuam charitatem, cùm & ipſa maritum impenſiſſimè amaret & coleret, neque maritus in amore & cultu pientiſſimæ, & rebus proſperis atque adverſis fidiſſimæ conjugi unquam cederet. quin & utriuſque idem perpetuumque ſtudium eſſet, ſe invicem anteponere. Quem igitur maritum viventem unicè & perſeveranter dilexit, eundem triſti fato amiſſum pœne inſanabili dolore luget. Nihil dicam de ejus pietate ſincera & humili erga Deum: nihil de liberalitate in egenos, quorum ſublevare inopiam maximis ſemper in curis deliciisque ſuis habuit: nihil de prudentia, quam in raro hoc conjugum ſapientum pari non ſemel Sereniſſimus Elector CAROLUS LUDOVICUS prædicaſſe fertur. Cætera, ne modeſtiam Fœminæ, omni laude digniſſimæ, onerare videar, religioſo ſilentio colam. Orſus paulò poſt Fabritius eſt telam argumenti ſublimis de Enthuſiaſtis; ſed orſus eſt, non pertexuit. incertum quam ob cauſam. Queritur, hominum talium tantam ab aliquo tempore per orbem Chriſtianum eſſe copiam, diverſitatem tantam, vix ut ulla retro ſecula iſtiuſmodi hominum feraciora extiterint. quod eruditè & fusè oſtendit, ſimulque afflatorum ejuſmodi diverſum genium explicat, & veros Dei ſervos à ſimulatis & ementitis certis notis diſtinguendos eſſe præfatur. Unde & Enthuſiaſmi naturam & originem univerſim ſe explicaturum, dein ſigillatim ejuſdem genera, ac demum ſigna, quibus unumquodque genus dignoſci detegique poſſit, expoſiturum recipit. Sed dolendum profectò eſt, deſtinata maximi momenti non executum eſſe, qui præ

Telam de Enthuſiaſtis orditur, ſed non pertexit.

cæte-

cæteris perſpicaciſſimo ingenio præditus exequi poterat; & ſe argumentum illud non ſponte ſua ſuſcepiſſe, literis ad me ſcriptis teſtatus eſt. Æſtuabant eodem tempore in Belgio turbæ, Æolis earum famoſo pridem Iohanne Labadie, & qui primus cum eo ſcriptis contentionum funem duxit, Ludovico Wolzogio; prævalidis utriuſque partibus. Ad Fabritium de eo & Medioburgenſes, & Ultrajectini ſcripſerant, ejúsque conſilium expetierant. Ille, quod literis ad me datis teſtatus eſt, pacem ſeriò ſuaſit, & ne novo ſchiſmati, aut ſaltem majoribus turbis occaſionem præberi permitterent, rogavit. *Alterutrius*, inquiebat, *condemnatione pax reparari non poterit. Silentium imponendum eſſet, ut cum tempore animi nunc nimiùm æſtuantes, & à pacificis conſiliis alieni refrigeſcant.* Vehementer ei Medioburgenſium cenſura, quam in Wolzogium ſtrinxerunt, aliáque ejuſmodi, ad tumultus & ἀταξίαν ſpectantia, diſplicuerunt; optanti ſeriò, ut nimia animorum ubique intemperies, nimia licentia piorum Magiſtratuum authoritate compeſcatur. De cætero vatem eum fuiſſe, eventus docuit; quando condemnatus & expulſus Labadie ab Eccleſia ſe ſeparavit, & turbas non facilè poſt mortem etiam ejus ſopiendas dedit. Cúmque haud diſſimiles turbæ eodem tempore Genevenſem Eccleſiam infeſtam habuiſſent, conſultus à me id ipſum ſuaſit, ut ſilentium rixarum authoribus imponatur, & quidem ſub pœnæ ſanctione, cui ipſi authores illi ſubſcribant. *Niſi enim*, inquiebat, *libertas illa quidvis, quod in mentem venit, docendi, & antiqua rectè poſita convellendi coërceatur, certum prævideo Eccleſiis noſtris exitium.* Cúmque Eraniſtæ in Belgio rixis & altercationibus ſuis Fabricium involvere tentaſſent, abſtinendum partibus ratus, meliùs ſe tempus collocare poſſe, quàm in audiendis & refellendis convitiis, ſapienter reſpondit. Nam in talibus vincere inglorium, & atteri ſordidum eſſe, meritò exiſtimavit. Qualis animus ſi Theologorum etiam maximorum, & de cætero præclarè meritorum præcordiis ſemper ſediſſet, næ hodiéque meliùs & æquabiliùs Eccleſiæ res haberent. In defendendis

A Middelburgenſibus & Ultrajectinis de turbis, quas Labadie excitaverat, interrogatus, præclarè conſulit, & quid controverſiis orientibus facto opus ſit, explicat.

Partibus litigantium conſultò abſtinet.

dis inprimis hypotheſibus vulgò non receptis, qualis illa

Controverſia de Regno Chriſti quomodo pro ſuggeſtu tradenda ſit, docet.

de Regno Eccleſiæ, & florentiore ejus ſtatu conſecuturo, ſummam moderationem ſuaſit; & requirenti, an textum Scripturæ, cui hypotheſis ejusmodi inprimis inniti videretur, pro ſuggeſtu explicaturo ſalva conſcientia ſententiam ſuam promere liceat; nihil equidem contra conſcientiam loquendum, ſed hac tamen moderatione utendum, ut ſententiam propriam unà cùm argumentis eandem ſtatuminantibus dilucidè & modeſtè exponat, non omiſſa ſententia adverſante, ejuſque argumentis, ſic tamen, ut eam non exagitet, ſed utramque, ſi fieri poſſit, ad uſum pie-

1670.

Prole maſcula beatur, quam præcoce fato præreptam vehementer parentes lugent.

tatis revocet, reſpondit. Haud planè ſterile Fabritii conjugium fuit. Nam ſequentis anni Aprili Conjux ejus optima parentem eum fecit gnati, cui Henrici Ludovici nomen impoſuit. *Natus mihi eſt*, ſic ille ad me, *Filius, formæ integræ, & qui robuſtius etiam oſtentat corpus, quàm vel Mater, vel Pater.* Recens nato filiolo Sereniſſimus Elector donarium annuum centum & viginti florenorum aſſignaverat, quo Parens velut ſalarii ſui augmento frueretur. Ita quæ non quæſiverat, inveniſſe ſe, lætabatur. Sed præcox & flebile pignoris hujus, proximo ejuſdem anni menſe Auguſto defungentis, fatum lætitiam parentum in luctum funeſtiſſimum commutavit. Didicerunt enim, quàm vanæ Mortalium ſpes ſint, quàm fragilis vitæ noſtræ conditio, quanta inſuper vis ſit paternæ ϛοργῆς, quam, dum viveret filiolus, non ita ſe ſenſiſſe Fabritius teſtabatur. Plus enim deſiderare & lugere mortuum, quàm viventem diligere viſus eſt. Et mœrorem, quem ex ejus obitu parentes contraxerant, vix ulla dies obliterare potuit. Auxit & illud dolorem, quòd deinceps liberos alios nullos ſuſtulit. quanquam inter orbitatis ſuæ præmia numeravit, quòd ſic à liberorum degenerum, & in pœnam genitorum metu liber eſſet. cui ferendo malo vix ſe futurum parem affir-

1671.

Spinozæ ſcripta deteſtatur.

mavit. Paulò poſt oblatus illi Benedicti *Spinozæ* Tractatus Theologico-Politicus erat. Tum ille lecto horribili libro ad me: *Horreſco, quando video tam effuſam dari licentiam,*

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

quæcunque in mentem veniunt, publicè proponendi, & ipſam Chriſtianam religionem, ſacróſque codices tam apertè blaſphemandi. Beatos vos, qui ejuſmodi petulantiam Magiſtratus etiam authoritate compeſcitis. Tendunt iſta omnia ad exitium tum Eccleſiæ, tum Reipublicæ, quæ quaſſata religione non poteſt non periculoſſimè concuti. Belgarum Proceribus alia videtur ſententia eſſe. Forte & alia eſt Reipublicæ Ipſorum ratio. Talia verò ſcripta in Germaniam inferri, & inter ſtudioſos divulgari, perniciosiſſimum eſſe puto. Quinetiam exiſtimo, conſultius eſſe, ut ſupprimantur, quàm ut refutentur. Quotuſquiſque enim eſt, qui refutationis vim aſſequatur? aut qui ſaltem imperturbato animo iſthæc legat? Ita ſanè res habet, quandiu ſcripta ejuſmodi procul omni ſeductionis periculo ſuppreſſa, tenebríſque damnata deliteſcunt. Sed ubi illa, obſtetricante velut Lucina, in dium prodeunt, multorum manibus teruntur, & contagione ſimplicium judicia corrumpere incipiunt, ipſemet Fabritius haud indignum Hercule opus eſſe, monſtra ejusmodi rectæ rationis clava domare, ultro agnovit. Paulò poſt Elector CAROLUS LUDOVICUS Fabritium honore præcipuo dignatus Filio Electoralis dignitatis hæredi CAROLO cum Regia Principe WILHELMINA ERNESTINA, Potentiſſimi Daniæ Regis FRIDERICI III. Filia deſponſo, in Aula ſolenniter benedicendi provinciam ei demandavit. Qua ille die XX. Sept. MDCLXXI. diſertiſſimo de generis humani origine & incrementis ſermone præmiſſo, dexterrimè defunctus eſt. Succeſſit paulò poſt alterum haud æquè lætabile matrimonium Gallicum Sereniſſimæ Principi Nuptæ, & univerſo Palatinatui fatale, atque eo etiam nomine parum Fabritio lætabile, quòd ejus promoti conſcientiam æmuli ejuſdem ipſi imputare non erubuerunt. Sed una veriſſimáque Fabritii defenſio fuit, quòd Princeps conſilia, quæ à fidiſſimis etiam miniſtris improbatum iri provideret, celare, & ne conſiliis vel admonitionibus locus ſit, inſciis iis exequi conſuevſſet. Id hic quoque eveniſſe, pluribus ad me perſcripſerat, ſiniſtrum augurium, velut imminentium

Principem Electoralem cum Danica Sponſa copulat.

Triſte ejus de nuptiis Gallicis præſagium.

in-

intelligens his verbis conſignans: *Hæc omnia quando conſidero, neſcio quid mali mihi animus præſagit.* Cujus triſtiſſimi præſagii eventum Ipſe, proh dolor! ſuis oculis vidit.

Vitam ei acerbam Sylla quidam, aliáque reddunt.

Acceſſit aliud malum, quòd Academiæ quidam Sylla Fabritium privatim divexavit, in hoc jam laborare viſus, ut poſt ejectos collegas optimos, Bökelmannum inprimis & Dankelmannum, ipſum quoque abigeret. Sed ſtabat ſententia durare, dum integra conſcientia Eccleſiæ & Academiæ adeſſe liceret. *Si homo iſte*, ſic ad me Fabritius, *me expellat, feram exilium patienter, & longè majori cùm animi tranquillitate, quàm nunc in ſtatione mea & publico munere.* Et paulò poſt, malis ingraveſcentibus: *Multa ſunt*, inquiebat, *quæ mihi vitam difficilem reddunt, & niſi domeſtica ſe rectè haberent, nihil in humanis eſſet, quod me oblectaret. Adeò omnia in deterius vergunt.*

1672. *Oborto bello Gallo-Belgico, privata & publica mala deplorat, & vitæ emendationem efficaciter ſuadet.*

Ingruit mox horrenda tempeſtas belli Gallo-Belgici, quæ florentiſſimam & potentiſſimam Rempublicam pœne ad incitas ſubitò redegit, & Germaniæ etiam, aliisque regionibus, niſi Deus rebus afflictis ex machina affulſiſſet, interitum portenderat. *Jam hinc alii*, ſic iterum ad me Fabritius, *diſcant obſtare principiis, neque ſubblandiri.* Et privatis publicisque comparatis malis hunc in modum die XVI. Decemb. MDCLXXII. ad amicum Ioh. Hegium, Vallevillenſis Eccleſiæ Tigurinum ad lacum ſitæ, Paſtorem fideliſſimum, & diſcipulum γνήσιον, piè & ſapienter ſcripſit: *Me variè nunc exerceri, & iis quidem rebus, quas, dum hic eſſes, nondum ſentiebam, facilè ipſe conjicies. Ne Roma periret ignavia, opus erat incolumi Carthagine. Militia Chriſtiana non eſt, ubi non eſt hoſtis. Hoſtis verò periculoſiſſimus, quem debellandum habemus, in nobis ipſis eſt. Quantumvis acriter huic reſiſtamus, conatur tamen ſemper eluctari, omnésque opportunitates captat nobis inſidiandi. Hoſpitium illud externæ Eccleſiæ quàm florentiſſimum, Belgium dico, quàm fœdè collapſum, ſaltem labefactatum, & in diſcrimen extremum adductum, nemine providente? Tantò magis neceſſarium, ut in nobis ipſis exſtruamus, vel conſervemus Templum dicatum Deo, proximúmque ædificemus licet. Cætera committamus Deo ſum-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

mo Architecto. Si ex calamitate ſua Belgæ hunc fructum capient, ut intelligant, non ſufficere externi Templi oſtentationem, feliciores erunt, quàm ſi felices ſemper perſtitiſſent. Hoc ipſi in præcipuis votis fuit, ut modò dogmatibus noſtris ſanctiſſimis veriſſimiſque reſponderent *hypotheſes*, id eſt, doctrinæ circumſtantiis ſuis veſtitæ. Satyrici illud: *Probitas laudatur & alget,* frequenter in ore habuit. *Algeant,* ſic ille, id eſt, *veri ejus cultores incommodis hoc in ſeculo urgeantur. Nam & hoc ad probitatem facit. Sed alget ipſa, id eſt, Charitas refrixit, & pietas in Deum.* Memorabile ipſi viſum illud Epicteti *Enchir. cap.* 10. Ἀπαιδεύτου ἔργον, τὸ ἄλλοις ἐγκαλεῖν, ἐφ' οἷς αὐτὸς πράσσει κακῶς. Ἠργμένου παιδεύεσθαι τὸ ἑαυτῷ: πεπαιδευμένου, τὸ μήθ' ἄλλῳ, μήθ' ἑαυτῷ. *Alios accuſare in calamitate ſua, hominis eſt ineruditi: ſeipſum, ejus, qui erudiri cœpit: nec ſe, nec alium, eruditi.* Quorum verborum ſi hic ſenſus ſit, nos ab omni calamitatum, quas Deus immittit, ſenſu deſtitui debere, falſum eſſe rectè pronuntiavit. Sed experientiam docere ajebat, alio ſenſu vera eſſe debere, quæ Epictetus dixit, atque eo forte, quòd ἀπαίδευτοι plerique ſint, cum aliorum potiùs vitiis, quàm ſuis rixantes; πεπαιδευμένοι verò, qui nec ſibi iraſci debeant, nec aliis cum modo iraſcantur, oppidò pauci. Eodem verò anno Fabritius Diſſertationem de hominis ſalvandi à Deo Sanctificatore dependentia publico examini ſubjecit. Ante omnia præſtruxit, hominem à Deo creatum eſſe bonum & rectum, ſed mutabilem, neque indifferentem tamen, quia ſic ad Diaboli æquè ac Dei imaginem conditus eſſet. Peccato verò mutatum eundem, reſtitui niſi Dei ſolius Sapientiſſimi, omnipotentis & miſericordis δυνάμει ἐνεργουμένῃ non poſſe; imò & reſtitutum ex parte, niſi dependentem ab eadem vi Dei omnipotente permanere, & penitus ſanctificari non poſſe, pluribus & efficaciſſimè aſtruxit. veteribus noviſque Pelagianis, hominem ſalutis ſuæ fabrum, & Deum infirmum opitulatorem ſtatuentibus, nervos omnes potenter incidens. Conciliaverat non ita pridem Electoris juſſu Academiæ Heidelbergenſi virum doctiſſimum, Tanaquillum

De hominis ſalvandi à Deo ſanctificatore dependentia diatribam in lucem mittit.

1673.

Tanaquillum Fa-

k

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

brum Academiæ conciliare nititur; & juſſu Electoris, Spinozæ magna cum circumſpectione Philoſophiæ Profeſſionem offert.

lum *Fabrum*, quo de ſupra diximus. Sed illum jam vaſa colligentem, & Salmurio ſolvere parantem, fata occupârunt, ac ſimul Fabritii ſpes de viro πολυμαθεστάτῳ conceptas conturbarunt. Mox igitur Elector Benedictum *Spinozam* ſuccenturiare conſtituit, Fabritio mandans, ut literis ad eum datis ejuſdem animum pertentaret. Averſum à Spinoza, homine gentili potiùs, quàm Chriſtiano, animum geſſiſſe Fabritium, ex judicio de eodem, propriis ejus verbis, ſupra deſcripto, abundè liquet. Sed obſecundare tamen Electori debuit, & integra fide, nequicquam muſſitantibus ejus æmulis, potuit. Agebatur enim de Profeſſore non Theologiæ, ſed Philoſophiæ, Mathematum cumprimis, Academiæ conciliando; cui hanc legem Fabritius ſapienter dixerat, ne philoſophandi, quam habiturus ampliſſimam eſſet, libertate ad publicè ſtabilitam Religionem conturbandam abuteretur. Ita ſimul religioni conſuluit; ſimul tacitè etiam Spinozam, cujus Philoſophia Religioni ſtabilitæ prorſus adverſabatur, ne conditionem ab Electore, interprete ipſo, oblatam amplecteretur, abſterruit. Nam Spinoza operam Electori negavit, hoc inter alia argumento, quòd neſciat, quibus limitibus iſta philoſophandi libertas includi debeat, ne videatùr publicè ſtabilitam religionem perturbare velle; haud obſcurè faſſus, Philoſophiam, quam hactenus privatim docuit, & ſcriptis prodidit, in Religionem Chriſtianam, Reformatam inprimis, prout illa legibus conſtituta eſt, adverſa & hoſtili fronte incurrere.

1674. *Franckerani Fabritium ad Profeſſionem Theologiæ invitantes, repulſam ferunt.*

Sed mox ipſum Fabritium Academiæ ſuæ vindicare Franckerani Curatores, ſcriptis ad eum literis, & pertentato animo, laborarunt; ſperantes, induci eum poſſe, ut ex lubrico, in quo ſtabat, gradu ad majorem libertatem ſaltum faceret. Cæterùm negavit ille, vitæ ſuæ conditionem in præſentiarum permittere, ut ſtationem ſuam cum alia commutet. Sed intima repulſæ cauſa rixæ & contentiones Theologorum in Belgio, Attica adverſus fratres hoſtilitas & odia, indies magis magiſque exardeſcentia, ut nemini in pace, extra partium ſtudia, vivere liceret, fuerunt.

Hæc

Hæc, ſic ille ad me, *potiſſima ratio eſt, quæ me à Profeſſione in illis oris acceptanda deterret. Et malim vivere privatim, ſi ab his montibus mihi diſcedendum foret, quàm inauſpicatiſſimis altercationibus tempus meum conſumere.* Sed pleniùs diſertiúsque reconditum de Theologorum altercationibus animum ſuum, ſcriptis ad amicum Belgam eodem tempore literis, aperuit. Res tanti ad Eccleſiæ ſalutem momenti mihi viſa eſt, ut verba ejus, ex Gallico idiomate converſa, repræſentanda putaverim, ſi forte rationibus ejus ducti viri cætera pii & docti commoveri ſe patiantur, ne φιλονεικία, nimiáque ſubtilitate Theologiam in anguſtias ex ſua Majeſtate ampliùs detrahant. Manifeſtiſſimum enim eſt, nihil minùs animis magna conantibus, imò & contemplantibus, convenire; & comminui atque debilitari generoſam, veræque pietatis ſtudioſam indolem, in iſtas argutias conjectam. Et quæ literis illis Fabritius expoſuit, gemina & germana ſunt iis, quæ non ſemel cum Fabritio juvene & ſene, juvenis & ſenex ipſe, coram & per literas, contuli; & quæ utrique in omni vita exprimere conati ſumus. Sic autem ille die XVI. Ian. MDCLXXIV. ad amicum: *Ita nunc res meæ comparatæ ſunt, ut vocationem honorificam mihi amplecti non liceat. Hic quidem locorum roſæ ſpinis, me præcipuè pungentibus, ſeptæ ſunt. Sed nihil ex omni parte beatum eſt, & mala comparanti graviora mihi videntur, quæ apud vos mihi imminerent. Non me conditionum oblatarum ratio, aliáque ſimilia abſterrent; ſed unica mihi in officio meo ritè obeundo quietis cura eſt, quam ibi, ubi magna Theologorum pars id ſibi negotii datum putat, ut contentionum ſerram infeliciter reciprocet, fruſtra quærerem. Teſtes ſunt libelli & literæ è Belgio miſſæ, tanta cum intemperie ibi lites agitari, ut moderationis, prudentiæ, & reſpectus honeſti minima ratio habeatur, ut vix impetuoſiùs ſalſamentarii & furioſæ anus agere ſoleant. Adeò mihi ab hoc genere vitæ animus abhorret, ut, ſi ſtatio mea deſerenda mihi eſſet, privatam, quàm gladiatoriam ejuſmodi vitam agere malim. Ita enim ſentio, Scholas ſeminaria eſſe, in quibus Chriſtiani doctores populum non ore duntaxat, ſed etiam exemplo ædificaturi formen-*

Ejus de Theologorum litibus querela gravis.

mentur. *Chriſtiana profeſſio non in contentionibus & digladiationibus, ſed in cognitione veritatis, quæ ſecundùm pietatem eſt, cum Spiritu pacis, charitatis, humilitatis & moderationis conjuncta conſiſtit. Juventus per ſe contumax, litigioſa, ambitioſa, præjudiciis turgida & præceps eſt; quos pravos animi affectus extinguere, non fovere par erat. Geminum omnino religio vera finem habet, ut tum ad felicitatem æternam, tum ad civilem ſocietatem, ex amore pacis & juſtitiæ, juxta Chriſti præcepta, homines ducantur. Utrique improbus ille mos, quo homines ambitioſi mutuis injuriis graſſantur, & ob unicam quandoque vocem ambiguam, vel problema indifferens ſe invicem diris infernalibus configunt, è diametro adverſatur. Interim ſtudioſi Theologiæ inter logomachiarum digladiationes ejuſmodi educantur, partes præceptorum ſuorum non ſine rabie ſequuntur, Eccleſiam ſcindunt; neque tamen vel doctiores, & in ſcientiis ſubactiores, vel Dei timore imbuti magis, vel de ſalute ſua in hac vita certiores, vel charitate ferventiores, vel erga proximum æquiores, vel ad docendum, redarguendum, conſolandum aptiores evadunt; quin potiùs animus illorum ſic efferatus habitum invidiæ, odii, iræ, ſuperbiæ, ſtudii vindictæ, potiundi pravi deſiderii contrahit, neque limam vel medicinam & correctionem ullam admittit. Cooptati dein inter Miniſtros Eccleſiæ ea prædicant, quæ juvenes didicerunt, & amarulentiæ atque diſcordiæ ſpiritu tument. Qualem quæſo ſic Eccleſiam habemus, qualem habituri ſumus? Tales inter homines vitam degere, duriſſimum profectò mihi foret. Nos enim hîc in pace & libertate vivimus. Quingenti circiter paſtores & Ludimagiſtri in Palatinatu mihi & Collegis meis ſubſunt, quorum omnes lites facilè ſopimus, nec cuiquam indulgemus, ut vel calamum contra alios ſtringat, vel à recepta fidei doctrina deflectat. Adeò tranquillè hactenus vivo, ut neminem contra me hiſcentem experiar. Si quis nobis moleſtias faceſſere auderet, eum ſuprema poteſtas protinus in ordinem redigeret. Hoc illud grande privilegium eſt, quod omnibus emolumentis, Minervalibus & prærogativis præfero, & quod me hic, ubi Deum colere, & officium meum quieta cum induſtria obire valeo, diſtinet.* Hactenus ille, cujus

ver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

verba, quæ ut cedro notentur, mea quidem ſententia, digniſſima ſunt. Paulò poſt nova procella belli in Palatinatu ſæviens miſerè Fabritium jactavit. Galli enim, Turenio duce, apud Sinzhemium acie ſuperiores, cedentium terga premebant, & Heidelbergæ imminere viſi ſunt. Fabritius jam ante ab Electore monitus, ut gliſcente periculo ad ſe Friderici-Burgam contenderet; Heidelbergam die XXIV. Iunii reliquit, Frideri-Burgam auſugere properus. Vix urbe egreſſus, comperit, Gallos Nicrum trajeciſſe, & itinera Friderici-Burgam verſus infeſta tenere. Per avia igitur Heidelbergam redit; ac denuo de periculo monitus, equo conſcenſo Eberbachum, atque inde per Sylvam Ottonicam, Mœnum verſus, comitibus Heidelberga fugitivis, quos in itinere obvios habuit, præcipuis Francofurtum uſque, inde, paucis comitibus, redux Moguntia, Oppenhemio, Wormatia, Francothalio peragratis, ſalvus & incolumis Friderici-Burgæ apud Electoralem Aulam die II. Iulii appulit, mirante Electore admodum, quòd itineris longas adeò ambages ſine periculo, quod à graſſantibus utriuſque partis militibus præſentiſſimum imminebat, circumagere datum eſſet. Friderici-Burgæ octiduum integrum hærens, eminus nil niſi vicina incendia, triſtiſſimum ſpectaculum, quamvis hebete oculorum ſuorum acie, uſurpavit. Inde venia ab Electore impetrata uxorem Coloniam præmiſſam ſecutus, ibidem inter appellendum vitæ periculum adiit. quo Dei ſingulari gratia ſuperato, Coloniæ appulit, atque inde Gallis, Nicrum Rhenúmque deſerentibus, Heidelbergam per Strata Montana, ubi Mavortii furoris triſtiſſima veſtigia vidit, reverſus, ibidem ſub initium Septembris appetiit. Hoc Ulyſſis noſtri frequens & triſte nimis fatum fuit, quod & morbos ei inconciliavit. Nam hactenus ſoſpes, firmæque ſatis valetudinis, nunc demum arthritidis acutis doloribus divexari cœpit, & mox etiam ſiniſter oculus ſuffuſione laboravit; jamque etiam macula pupillæ proxima apparuit; quæ tamen idoneis remediis diſcuſſa eſt, Academia Heidelbergenſis eo 1675.

Gallis in Palatinatu graſſantibus, Fabritius Heidelberga aufugit, & miſerè, nec ſine vitæ periculo jactatur.

Redux Heidelbergam, Academiam ſuſtentat.

tempore deſerta Profeſſores eò reduces plures quàm ſtudioſos alebat. Sed Collegium Sapientiæ, non minùs quàm olim alumnis Electoralibus inſtructum, auditores Theologis, Iuriſconſultis, Philoſophis ſuppeditavit; atque lex insuper lata erat, ut vel uni auditori Profeſſores prælegant, atque Fabritius omnibus certos alumnos attribuat, qui lectiones frequentent, ne publica exercitia in deſuetudinem abeant. citiùs enim ſtudia & ingenia opprimuntur, quàm revocantur. Ita utcunque Academiæ ab interitu vindicandæ, Fabritii inprimis prudentia & induſtria, conſultum eſt; Electore etiam jubente, ut Profeſſoribus in ſtatione retinendis congiaria exactè ſolverentur. Miſera

Temporum ſuorum calamitatem deplorat.

tum Palatinatus facies erat. Per univerſum inprimis Saletionenſem & Germersheimenſem tractum omnia igne vaſtata erant, vix ut domuncula à flammis feralibus ſuperaverit. Diffluebant exulabantque paſtores multi, quibus Sereniſſimi Electoris gratia, & Fabritii cura provida alibi proſpectum utcunque eſt. *Calamitoſa ſunt*, ita ille ad me, *tempora, in quæ reſervati ſumus.* Sed ille caſibus ejuſmodi ſapientiam, velut inexpugnabilem murum, pridem circumdederat, & jugum Domini in ſilentio & ſpe portare didicerat; haud ignarus, per ſecunda felices, per adverſa magnos probari. Dum ſic Galli in Palatinatu graſſantur, & ima ſummis miſcent, neſcio quibus inſuper Sinoniis artibus, & blanditiis fallacibus Romanus Clerus religionis libertati, per oblatæ pacis religioſæ ſimulationem, inſi-

Dum armis Proteſtan vexantur, Tinenſis Epiſcopus religioſam concordiam machinatur. Quo cum Elector Fabritium, certis legibus con-

dias ſtruxit. Divagabatur per Germaniæ omnes aulas Epiſcopus quidam Hungarus *de Tina*, ortu Belga, Regis Hiſpaniæ conſiliarius, qui Patris *Roccæ* nomine vulgò venit. Ille incautos tentare aggreſſus, quoſdam primarios in Saxonia & Brunſuicenſium ditione Theologos in caſſes ſuos ſe jam pertraxiſſe, palam jactabat. Cúmque multum ſibi de Electoris Palatini favore, & proclivi ad concordiam cum Romanis ineundam animo promiſiſſet, atque ſic ſpem venationis ſuæ inflâſſet, menſe Majo anni MDCLXXVI. Heidelbergam, inſtructus Cæſaris ipſius li-

teris

teris commendatitiis, perſonatus, Baronis quippe Keinenſis nomen uſurpans, venit, & Electori, non Papæ equidem, ſed Cæſaris authoritate fretus, inſtitutum ſarciendæ Proteſtantes inter & Romanenſes concordiæ aperuit. Electorem Cæſaris prætenſa authoritas commovit, ut vacivas proco huic aures ſubſtringeret. Totius igitur cauſæ hujus diſceptandæ negotium uni primùm Fabritio mandavit, ea dicta lege, ut cum Tinenſi diligenter per commutatas literas ageret, & quæſtionem inprimis de concordia circa regimen Eccleſiæ & civilis Imperii politiam, inſtitueret. Subolere ſtatim Tinenſi, ſi ei mens læva non fuiſſet, debuit, quæſtione ſic conſtituta, quæ amphora inſtitui cœpit, in urceum exituram. quod ipſe eventus probavit, quando cœpta ſecus cadebant, & Tinenſi latera nimis denudanti Pontifex Romanus ſuccenſuiſſe ferebatur. quanquam ſagaciores judicabant, cuncta ex compoſito geri, atque Tinenſem delectum, qui εὔνȣς σφάκτης *bene-volus occiſor* Proteſtantium exiſteret, & ſpeciem benevolentiæ ſubdolo & pernicioſo animo admiſceret. Neque enim intempeſtiva benivolentia quicquam à ſimultate differt. Sed de hoc quicquid ſit, non adeò obtuſum & hebes Fabritio ingenium fuit, ut Hierarchiam Romanam cum Eccleſia, Babylonem cum Sione, Florem cum Flora conciliari unquam poſſe, confideret. Aliud ipſi pridem & Divina vaticinia, & religionum è diametro pugnantium ratio ſuaſerant. cujus rei vel ſolus Euclides ejus Catholicus fidem ampliſſimam facit. Perſuaſum enim habuit, quod res eſt, nec Papam inductum unquam iri, ut Monarchiam, ſpecie Eccleſiaſticam, reapſe verò civilem & terreſtrem, religioni æquè ac corporibus omnium dominantem & inſidiantem, ac cum eadem etiam dogmata controverſa eidem famulantia abdicet; nec non abdicatæ Proteſtantes ſinceros ullos colla ſua ſubjecturos, vel ſalva conſcientia ſubjicere poſſe. Cùm tamen Cæſaris authoritas interponeretur, & Elector ipſe hanc Fabricio provinciam demandaſſet, non potuit ille non morem gerere; ſed ita gerere ſtatuit, ut non paraſita-

tentioni di-ctis, commi-nit.

Ea in re Fabritius integra fide & conſcientia agit.

ta-

tari,nedum lucem cum tenebris miſcere, ſed adverſæ parti, non verborum præſtigiis, ſed ipſis rerum argumentis, iíſque validiſſimis inſidioſæ conciliationis ſpem omnem adimere, unicè deliberatum conſtitutúmque habuerit. Atque id planè ex animi ſententia ſucceſſit. Ante omnia enim Fabritius, literis menſe Septembri A. MDCLXXVI. ad Tinenſem datis, præmiſſis quibusdam commercii legibus, de religione, ejúſque circa credenda, facienda & ceremonias præſcriptionibus in univerſum diſſeruit, & explicitè credendorum ſummam in articulis Symboli Apoſtolici conſtituit. Tinenſis ex Becano quatuor limitationes addidit, ajens, omnes ſalvari poſſe, qui explicitè credunt duodecim articulos Symboli, ſecundum verum & legitimum ſenſum: &, qui reliquos, minimùm implicitè, credunt: & qui nullum errorem veræ fidei contrarium habent: & denique, qui ſervant mandata Dei. Fabritius primam & ſecundam, propter interpretationum fallacias, omnem ineundæ concordiæ ſpem præcidere monuit, & Becani limitationibus Petri Caniſii & Catechiſmi Romani authoritatem oppoſuit. Dilapſuri ſtatim fuerant in contentionum pelagus, niſi Elector ipſe hanc diſceptantibus legem ſapientiſſimè dixiſſet, ut miſſa de dogmatibus fidei, ſeu credendis, diffuſa nimis altercatione, diſputationem intra breviores gyros coërcerent, & rei ipſius, in quo cuncta vertantur, cardinem aggrederentur, adeóq; Tinenſis ante omnia, quem penes Majeſtas Imperii Eccleſiaſtici, poteſtas ferendi leges, judicandi, diſpenſandi, cuncta definiendi reſideat, explicaret; cùm hac in re Galli & Hiſpani non conſentiant; atque cùm id explicaverit Tinenſis, & plenam poteſtatem cum Proteſtantibus tranſigendi in debita forma oſtenderit, tum demum, an ſententiæ conciliari poſſint, utrique diſpicerent. Id inſuper Tinenſi incumbere Elector ajebat, ut declaret, cum Proteſtantibus, ut hominibus liberis, an ut rebellibus, in gratiam recipiendis, tranſigere ex præſcripto ſtatuerit. Prius enim ſi moliretur, rem in tolerantiam fraternam, ſine partis unius in alteram imperio, exituram.

Explicitè credendorum ſummam in articulis Symboli Apoſtolici oſtendit.

Electoris juſſu diſputatio ad quæſtionem de poteſtate Eccleſiaſtica, ejuſque ſubjecto traducitur.

Quæſitum ex Tinenſi, cum Proteſtantibus ut hominibus liberis, an ut re-

Sin

bellibus agere inſtituerit?

Sin poſterius, ejuſmodi conditiones recipiendis in gratiam præſcribi, quæ ſalva religione & conſcientia accipi poſſint, ſimulque fundamentales doctrinas à non fundamentalibus clarè diſcerni oportere, ut quivis, etiam non pertingens ad perfectionis fidei & obedientiæ apicem, ſalutis ſuæ certus eſſe valeat. Hunc ergo in ſenſum Fabritius ad Tinenſem die XI. Nov. ejuſdem anni ſcripſit. Sed Tinenſis, his inſuper habitis, ſequente Decembri ad Fabritium Confeſſionem Fidei, velut jubente Electore, & conſentiente Theologo Archipalatino, compoſitam, & ſtricturis ſuis illuſtratam, ſummittere auſus eſt; indignante Electore, quòd fœtum alienum ſibi ſupponere Tinenſis religioni non duxiſſet. Quem etiam inauſpicatum fœtum paulò poſt Fabritius ponderoſis rationibus jugulavit. Idem Tinenſis jus Imperii Eccleſiaſtici non ſolùm diverſum, ſed etiam ſeparatum quid eſſe à jure Majeſtatis Principum, aſſeruit. Qua in re palam diſſenſum Fabritius conteſtabatur, diſertis pluribúſque rationibus evincens, Eccleſiæ nullum imperium, adeóque nec ſeparatum à politico, competere, quinimo jus Majeſtatis omne uni ſolique Poteſtati civili ſupremæ Divinitus collatum eſſe. Re ita ultro citróque

Tinenſis Confeſſionem fidei, velut ab Electore approbatam, conſignat, & Heidelbergam mittit. Idem jus imperii Eccleſiaſtici ſeparatum à jure Majeſtatis civili tuetur.

agitata, Elector ipſe die IV. Septemb. MDCLXXVII. ad Tinenſem ſcripſit, *videri ſibi negotium tanti momenti non ampliùs in tenebris, & remotis tot arbitris idoneis, diſceptandum, ſed apertam in lucem protrahendum eſſe. Non enim accendi lucernam, & ſub modio poni, ſed candelabro imponi ſolere, ut lucem inde domeſtici omnes hauriant. Eum verò in finem Tinenſi id ſatagendum eſſe, ut plenam de rebus merè ſpiritualibus, & ab imperio ſejunctis, tranſigendi poteſtatem ab eo, qui Eccleſiæ Romanæ præeſt, impetret, abſque quo ſit, fruſtra contentionem omnem fore.* Atque id ipſum paulò ante Fabritius Tinenſi, inducta hiſtoria irriti planè conatus Imperatorum, inſcio Papa de Religione decernentium, necnon domeſticis principiis repetitis, demonſtravit, addita etiam hac ratione, quòd inveteratis popularibus & practicis erroribus à Theoria Papatus non parum diſſidentibus, neceſſe futu-

1677.

Electoris ad Tinenſem literæ & poſtulata, quibus cognitis recepiſſi canit.

rum ſit Catechiſmum communem conſignari, quo praxis cum theoria in concordiam redigatur. Quam verò vim Catechiſmi talis futuram, ſi privata authoritate negotium ſuſciperetur? Eidem Fabritio Elector formulam plenæ poteſtatis in authentica forma conſignandæ, & per Tinenſem à Papa, priuſquam negotium irenicum ulteriùs procederet, impetrandæ, negotium dederat; qui talem conſignavit, qualem ſe à Papa impetraturum meritò Tinenſis, qui menſe Iulio A. MDCLXXVIII. ad Electorem cœpta proſecuturus rediit, diffiſus eſt. Ita ille lucem fugiens, quam imprudens ſuſceperat, cauſam, ſuperſtite Electore CAROLO LUDOVICO, deſeruit, expertus demum, quàm difficile ſit cornicum oculos configere, & perſpicaciſſimis oculatiſſimiſque viſum adimere. Queſtus enim alibi fertur, nuſpiam ſe minùs quàm apud Electorem Palatinum, de cujus ad concordiam propenſione altiſſimam ſpem Romanenſes concepiſſent, effeciſſe. Et tantum abeſt, ut Tinenſis μεθοδείας Elector probaverit, ut etiam Fabritio in mandatis dederit, Celeberrimo viro, Friderico Huldrico *Calixto*, pœne jam Tinenſis artibus circumvento, aurem vellicari curaret, ne Sirenis hujus cantum moraretur. In eo enim Tinenſis conſilia ſtare, non ut pacem & concordiam ſarciat, ſed ut per Concilium generale, Pontificio Clero obnoxium, Proteſtantium colla libera Papæ unius libidini & dominationi ſubjiciat. Pacem enim, ſpecioſum nomen, prætexi, at ſervitutem duriſſimam omnium intendi. Potior ergo jam & laudabilior cura belli religioſi Proteſtantes inter ipſos flagrantis, ſopiendi, & aquam, ſi qua liceret, in ſacrum hunc ignem infundendi, Electoris animum diſtrinxit. Nam Fabritio cum Darmſtatinis, Menzero inprimis, Gerlachio cum Academiæ Iuliæ Profeſſoribus, Calixto præ cæteris, & Conringio, componendæ pacis ſtudiis artibúſque clariſſimis viris, commercii eam in rem literarii inſtituendi & colendi negotium dedit. Qui partibus ſuis gnaviter defuncti, haud ſegniores in commercio eo excolendo viros illos invenerunt. Conringius etiam de proſpero ſucceſſu,

Elector Calixtum moneri jubet, ne Tinenſi confidat.

Elector concordiæ Proteſtantium curam majorem gerens, Fabritium, Gerlachium inter & Menzerum, Calixtum, Conringium, aliósque de

& ſe-

& ſecuturis exemplum aliis Principibus, ſecunda omina & vota contulit, quin & ſingularibus libellis propediem ſe negotium iſthoc tractaturum ſpopondit. Sed propoſitum utriuſque & Electoris, & Conringii mors paulò poſt inſecuta diſturbavit. Cæterùm Sereniſſimus Elector Manhemii Templum Concordiæ extructurus, ejuſdem lapidem primum eodem anno ſolenniter jecit. Elector Fabritio invito, multúmque, deſuetudinis vernaculo idiomate populo coram dicendi prætextu, reluctanti, ſermonis ad populum circumſtantem habendi neceſſitatem impoſuerat; præſcriptis in textum verbis Davidis: *Qui cum lachrymis ſeminarunt, cum jubilo metent.* Cumque præter obſequii gloriam nil ſibi relictum cerneret, partes ſibi mandatas cum laude obiit, & præſcripti textus verba ad alia omnia potiùs, quàm ad illa, quæ præſcribens animo ſuo volutâſſe videbatur, applicavit. Cúm enim orſus eſſet, ſe Aulam pullatam mœſtámque intueri, & de fluxa humani generis conditione, nemine nominato, pauca diſſeruiſſet, ilico ad alia deflexit, & de communi ſcopo ſtructuræ Templorum verba fecit. quod retundendæ illorum, qui ipſi impegerant, quòd Templum iſthoc monumentum defunctæ nuper Raugrafiæ deſtinatum eſſe prædicâſſet, calumniæ efficax eſt. Quis porrò Electori Templum illud fundanti animus, quod conſilium fuerit, ſcrutari nihil attinet, neque hujus loci eſt. Cuncta tamen arguebant, ejuſmodi Templum condi, in quo Reformati & Lutherani Manhemii degentes ſic ſacra ſua obirent, ut eaſdem ceremonias externas adiaphoras ex præſcripto Principis, cui adiaphora cum poteſtate determinandi jus competere Elector ſuſtinuit, uſurparent. quod concordiæ ſpeciem habuit. Atque id ipſum Liturgia communis, quam utriſque Proteſtantium partibus Elector, niſi fato occupatus, præſcripſerat, de qua mox dicturi ſumus, confirmat. Liturgiam illam formulis precum publicarum, ritibus adminiſtrandi S. Baptiſmi & Cœnæ Domini, Catechiſmo communi, nec non formulis benedicendi neogamis, & oratione inter ſepeliendum mortuos

ea literarium Commercium inſtituit.

Elector Manhemii Templum Concordiæ fundat, & Fabritio invito ſermonis primè officium imponit.

Conſilia Electoris & Fabritii de Liturgia communi Evangelicorum in Eccleſias Palatinas in-

producen-da. tuos recitanda conſtantem, Electoris juſſu Fabritius compoſuerat. Exempla ejus ad Darmſtatinos & Helmſtatenſes miſſa ſunt, ut judiciorum pacificorum aleam ſubirent. De ea ipſa Fabritii ad Menzerum verba exſcribere non pigrabimur. *Dogmata*, ſic ille, *intacta relinquimus, neque ambiguis verbis involvimus, quorum deinde definita explicatio cuipiam obtrudatur. Nihil enim irreligioſius videtur, quàm ipſa religione quempiam circumvenire. At nunquid non iſte ambiguus verborum luſus ab ingenuo candore deficiat, multùm dubito. In ſolis adiaphoris verſamur. Inter adiaphora verò non alia reponimus, quàm quæ iis à veſtratibus annumerata ſunt. Importunum enim foret, ea pro adiaphoris obtrudere, quæ Doctores eorum, cum quibus res agitur, talia eſſe communi conſenſu negaverint. Neque ea ipſa præſcribentur, ceu in ſe neceſſaria, licet poſitiva authoritate eorum, quos penes poteſtas eſt, pro temporum ac locorum ratione ſint determinata, atque iſto proinde nomine obſervanda. Multò minùs alias extra Palatinatum Eccleſias, quæ pro libertate ſua diverſum in adiaphoris modum ſibi definiunt, ulla ratione ſub cenſuram vocamus, neque contemnimus, neque condemnamus, neque præ iis amplius quid nobis ſapere videmur, ſed eo ſolùm, quo ipſæ, jure utimur. Juxta has regulas ex Sereniſſimi Electoris præſcripto negotium iſthuc dirigitur, quod illibatis dogmatibus ad ſtabiliendam majorem, iſthac præſertim tempeſtate, certè perutilem amicitiam plurimùm conferre poſſe exiſtimamus.*

1677. Caliſxti de Liturgia communi judicium. Hactenus ille, in vanum ita apud Menzerum diſſerens, quia album calculum adjicere Liturgiæ tali dedignatus eſt. Calixtus verò, ad Electorem Ipſum perſcribens, ſic utroque pollice illam probavit, ut ab adverſa parte, quam Calovianam appellavit, graviſſimas difficultates, quas ſigillatim ille perſtrinxit, motum iri, nullus diſſimulaverit. Neque illud Electori proviſum non fuit, nimis conſcio feralis hoſtilitatis, & averſi cupiditate animi multorum; ſed ſtatuerat tamen ille jure ſuo in adiaphoris apud ſuos uti: idque procul fraude & violentia omni, quæ infidus recti magiſter ſunt. Nam etiam Paſtorum Palatinatus Evangelicorum omnium examini & judicio Elector Liturgiam ſubjecerat; adeò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

adeò alienus à vi illa, quam conſcientiis inferre aſperiores domini ſolent. Sed & Sereniſſimum Principem Luneburgicum, Ducem ANTONIUM HULDRICUM, Liturgiam à Conringio oblatam legiſſe, & lectam ſuffragatione albóque calculo dignatum eſſe, Calixtus ad Gerlachium ſcripſit. Circa id tempus Fabritius adverſa cum valetudine ex arthritidis exquiſitis doloribus, qui ferè carnifices eruditorum ſunt, conflictatus eſt; cui morbo qualecunque levamen Schvvalbacenſium acidularum uſus attulit. Templi porrò concordiæ Manhemii jam extructi conſecratio ſupererat, quam Sereniſſimus Elector die XXIV. Junii A. MDCLXXX. ſolenniter peragi voluit juſſit. Fabritio ejus per preces, & ſermonem meditatum auſpicandæ & peragendæ munus Idem impoſuerat. Ibi inſolens aliquid, & planè præter Fabritii expectationem accidit, quòd jam ſubſellium Templi occupanti, & Aulæ adventum operienti, Electoris juſſu obnuntiatum eſt, ſolenni actui à Sacrificulo Handſahuchemenſi, vota & bona omina ſua cum Evangelicorum votis & benedictionibus conjuncturo, colophonem impoſitum iri. Quæ res adeò indigna ipſi viſa eſt, ut bis juſſus ab Electore cum Sacrificulo ante inaugurationem colloqui, eúmque, ne præter decorum aliquid ageret, dirigere, bis illud indignabundus recuſaverit; & recuſaverat amplius, niſi miſſus ab Electore præcipuus Miniſter, Fabritio addictiſſimus, metum, ne ſacrificulus in habitu concionantis, benedicentis, vel miſſificantis ſuggeſtum conſcenderet, graviúsque inde ſcandalum Eccleſiæ oboriretur, incuſſiſſet. Heidelbergam redux, literis ad Sereniſſimum Electorem ſcriptis, ob admiſſum ſacrificulum ingentem anxietatem ſuam prodidit, & apud Principem quæſitiſſimi ſenſus ea commemorare auſus eſt, quæ in animo legentis acerrimum aculeum relictura, & indignationis æſtum excitatura eſſe, nullus dubitavit. Non enim offenſionum pro gloria Dei, & Eccleſiæ honore pavidus erat, nec quid Deo, quid Principi debendi reus eſſet, neſcivit. Licet enim de Principis animo à Papatu alieniſ-

Fabritii invaletudo.

Templi Concordiæ inauguratio. 1680.

Fabritii ægritudo animi ob admiſſum ſacrificulum.

ſimo certus fuerit, nec occultas rationes conſilii, quibus adductus ſacrificulum ad ſacra hæc admiſit, ſcrutari fas ſibi duxerit, illud tamen dolorem ejus vehementer exulceravit, quòd Princeps facinore hoc ſpeciem faventis, & altare quoddam Damaſcenum erecturi, præbuiſſet, & tum optimos quoſque graviter perculiſſet, tum ſe etiam in ſuſpicionem occultorum & inſidioſorum moliminum adduxiſſet. Paulò poſt, die xx. Auguſti, Elector, annum ætatis ſexageſimum agens, vitam ſuam, multis modis exercitam, cum improviſa morte commutavit; Princeps edecumatæ prudentiæ & ſapientiæ, rebus ſecundis juxta atque adverſis, belli & pacis clariſſimus, vigilantia, ſobrietate, invicto animi robore, communis patriæ charitate nemini ſecundus; quem Patriæ Patrem, & totius Germaniæ Decus atque Ornamentum, magno concentu omnes prædicabant. Eo humanis rebus ſubitò exempto unicum poſt Deum præſidium in Hæredis unici, Sereniſſimi Principis CAROLI pietate, doctrina & virtute cuncti repoſuerunt. Ad Eum, in Regis Angliæ aula tum degentem, quamprimùm ſubitæ hujus mortis perlatum nuntium eſt, feſtinato itinere Heidelbergam rediit, ibique xv. Octobris abſque pompa appellens, jejunii, precum & pœnitentiæ die indicto, pro ſingulari ſua pietate inde ab octava matutina, ad quintam uſque pomeridianam ſacris interfuit, precibus peractis de geniculis. qua de re mandatum per univerſum Palatinatum emiſerat. Mox Academiam, cujus tum faſces Fabritius gerebat, ad dolorem de obitu Patris conteſtandum, gratulationes, vota, petitionem confirmationis ſtatutorum & privilegiorum, ſolenniſſimè admiſit, & Fabritio cuncta hæc oranti clementiſſimè reſpondit. Cæterùm, immutato ſic rerum ſtatu, gravis procella Fabritii famæ & fortunis interitum minabatur. Nam quem hactenus adverſus æmulos ſupra rectè factorum conſcientiam Electoris defuncti favor protexerat, eum Succeſſoris, Alumni quondam ſui Optimi, gratia & favor omnis ut deſtitueret, æmuli ejus, atque inter eos etiam nonnulli, quos ipſe

Mors Electoris Caroli Ludovici, & ſucceſſio Caroli.

Fabritii famæ & fortunis inſidia à Sycophantis ſtruuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

commendatione ſua ad fortunæ ſuæ faſtigium provexerat, in publica hac rerum converſione fortunas ſuas ſuper promotoris ſui ruinas exſtructuri, operam enixiſſimè dederant. Timebant enim, ne ſibi, Principem optimum, & inſidiantibus, atque circumducentibus, uti triſtiſſimus eventus docuit, nimis opportunum, obſeſſuris reſiſteret. Hoc unum igitur ſatagebant, ut feſſus calumniis & hoſtilitate aliò proſpectaret, vel ultro ſtationem ſuam deſereret. Fabritium igitur multorum malorum authorem, diſcordiæ domeſticæ Electoralis nutritæ fotæque, Raugrafianæ familiæ protectæ, Templi Concordiæ in honorem defunctæ Raugrafiæ extructi, conſpirationis cum Tinenſi in perniciem Eccleſiæ, matrimonii Electoralis noviſſimi promoti, libri de Polygamia non ita pridem, ad commaculandam religionis noſtræ profeſſionem, editi, denique ſacrificuli ad ſacra Templi Concordiæ admiſſi, authorem, ſuaſorem, & reum paſſim proclamabant. Sic proſpera & recta omnes ſibi vindicant, adverſa & obliqua uni imputantur. Sed Fabritius, calumniis & rumoribus ſpernendis validus, gnarus quippe, convitia adgnita videri, ſi iraſceretur, & ſpreta exoleſcere; ſupra aheneum illum, cui confidebat, murum, qui eſt *Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa;* etiam Sereniſſimi Electoris CAROLI, cui tot annos, ſine ulla mercede, ad doctrinam & virtutem omnem dux & author, præfuit, & pro quo non ſemel, noviſſimo inprimis anno, gravem apud Electorem Parentem invidiam ſuſtinuit, tum conſcientiæ, quoad pleraque, quæ objiciebantur, tum pietati in cæteris, non permiſſuræ, ut inauditus & indefenſus, tanquam innocens pereat, innitebatur. Non enim ſuperſtite etiam Parente, adeò dulce ipſi Phœbi jam cadentis lumen fuit, ut Solem Orientem non ſuſpiceret. quod ab inſigni ejus prudentia prorſus alienum fuiſſet. Sapienter verò idem ſtatuit, ſe patrocinium quidem famæ ſuæ deſerere non poſſe, quia id diſſoluti, & in ſe ipſum crudelis foret; attamen rumoribus tempus relinquendum eſſe, quia plerunque innocentes recenti invidiæ impares

Calumniæ adverſus Fabritium ſparſæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

ſunt,& veritas temporis filia eſt. Apologiis ſcribendis conſultò abſtinuit; id cum Auguſtino retinens laudánsque, quòd Chriſtianæ religionis ſumma in hoc conſiſtat, ut quem Servatorem adoramus, eundem imitemur. At hunc nec convitia convitiis rependiſſe, nec apologias pro ſe ſcripſiſſe, nec ad terrarum dominos querelas detuliſſe, neque injuriarum actiones inſtituiſſe, verùm rectè agendo, & inimicis ipſis benefaciendo, cunctos malitiæ inſultus glorioſè ſuperaſſe, & pleniſſimas innocentiæ ſuæ vindicias tempori, quod omnia aperit, vel potiùs Patris ſui Optimi Maximi Providentiæ commiſiſſe. quibus verbis patientiæ ſuæ rationem Affini Ampliſſimo & chariſſimo, Philippo VAN HEIRING, Sereniſſimi Naſſoviæ Principis, & Hæreditarii Friſiæ & Groningæ Gubernatoris Conſiliario, expoſuit. Sed juvabit eundem audire, ſic ad me etiam die XIX. Octob. MDCLXXX. ſcribentem: *Adverſus me motæ fuerunt machinæ validiſſimæ. Verùm prudentiſſimus Princeps & æquiſſimus invidiæ ac malivolentiæ artes facilè perſpexit. Calumnia mota fuit de libro, quo Polygamia defenditur, aliis itidem, quaſi non maſculè ſatis reſtitiſſem conſiliis quibusdam in detrimentum Reipublicæ & Eccleſiæ vergentibus. Suſpicionem auxerat mea taciturnitas, ſed quam, cùm ad diuturnius ſilentium obligatus non fuerim, cùm abrupiſſem, uno die omnia diſcuſſi, ipſósque etiam inimicos in ſtuporem dedi. Neque enim perſuadere ſibi poterant, me, cùm tot calumnias vivente Principe Electore æquo animo perpeſſus fuerim, innocentem eſſe. Meo ſiquidem loco ſi fuiſſent, Herum ſuum accuſaſſent, maledicta in alios jeciſſent, séque purgaſſent apud eos, ad quos negotium non pertinebat.* Aliquot poſt dies iterum ille ad me: *Mira ubique de me ſpargi audio, quaſi denato Principi cùm à conſiliis fuerim, conſilia neſcio quæ ſuggeſſerim, à pietate, probitate, & receptis legibus aliena: unde in Pientiſſimi nunc Domini mei odium inciderim. Horrendis iſtis calumniis facilè quis opprimi poſſit, præſertim quando nullus apud exteros, vel plebejos defenſioni locus datur. Sed quid agam? An lites intendam? An ſcribam Apologias? Statutum eſt denique calumnias illas omnes ſpernere, dum Sereniſſimus Princeps meus*

Querelas literis ad Heideggerum exaratis conſignat.

calum-

calumnias meras eſſe agnoſcit, neque Ipſe paſſus eſt, poſtquam omnem rerum actarum ſeriem inſpexit, vel Sereniſſimæ Matri, vel aliis iſtiusmodi mendacia inſinuari. Quæ publico Eccleſiæ & Reipublicæ bono olim ſuaſi, eadem optimo animo propoſita eſſe, defendo, neque diſſimulo. Cætera ab aliorum libidine ſuggeſta, vel in privatum commodum excogitata, uti ſemper improbavi, ita etiamnum improbo, neque plus, neque minus, quàm olim feci. Talis ſi eſſem, qualem nonnulli me eſſe non quidem mihi in os, ſed alibi & clanculum calumniati ſunt, certè nec Princeps, nec Academia me ferret. Innocentiam porrò Fabritii, quoad librum de Polygamia, Academia publico Programmate defendit; & jam lippis atque tonſoribus notum eſt, quis inauſpicati fœtus author ſit, vel ei ſaltem obſtetricatus fuerit. Et quàm prudenter, cordatè & ſanctè in negotio cum Epiſcopo Tinenſi, & Fundationis atque Conſecrationis Templi Concordiæ verſatus ſit, ex iis, quæ ſupra narravimus, pateſcit. Cætera publicè purgare Fabritius non potuit, quin de Sereniſſimo Electore beatæ memoriæ præter decorum, & erga tantum Principem obſervantiam dicere aliquid cogeretur. Sed interiora rerum Sereniſſimum inter Filium Electorem CAROLUM, ejúſque Sereniſſimam Matrem, viduam Electricem, & Fabritium privatim ita transacta ſunt, ut hujus innocentia etiam ex ſecretioribus ſcriptis in tabulario ſanctiori repertis, aliiſque documentis omni exreptione majoribus, à delegatis quippe judicibus ſeverè diſcuſſis, ad liquidum perducta ſit; utriſque imperterritam & conſtantiſſimam ejus in improbandis ſequioribus conſiliis voluntatem admirantibus, & jubentibus inſuper Fabritium acquieſcere, atque id tribuere memoriæ Sereniſſimi olim Domini, ne negotium in plenam lucem protrahatur. Nam & Vidua Electrix, quæ multos jam annos, calumniis hoſtium Fabritii circumventa, implacabiliter ei iraſci viſa eſt, perſpectis interioribus rerum, non tantùm eum abſolvit, & cum eodem à longa ſejunctione in gratiam rediit, ſed etiam, quod ingentis fiduciæ argumentum erat, inter voluntatis ſuæ ultimæ teſtes eum co-

Innocentiæ Fabritii demonſtratio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

1681. *Franekeram denuo vocatus, parere renuit.*

optavit. Interea denuo Franekerenſes Fabritium Academiæ ſuæ, in locum *Arnoldi* noviſſimè defuncti, depangendum, conciliare, opimis conditionibus oblatis, nitebantur. Nam eo jam loco res Fabritii eſſe opinabantur, ut vocationem honeſtam, quæ ex Euripo tali ad tranquillitatem viam munire poſſit, beneficii loco deputaturus ſit. Sed repulſam denuo tulerunt, non eam duntaxat ob cauſam, quam antehac Fabritius allegaverat, ſed inprimis, quòd ſibi in functione ſua perſiſtendum putet, donec nebulæ omnes à calumniis ſuſcitatæ diſpulſæ fuerint, ne quis novas calumniandi rationes excogitet, quaſi aliquid ſit, quod Heidelbergæ meritò formidet. Injuſtum verò & arrogans fore, ſi pertenderet, ut ſua gratia Profeſſionem vacuam eò uſque relinquerent, donec res ſuæ diſceſſum ex Palatinatu ferant, vel ſuadeant. Succenſebant Friſii, quòd vocationi honorificæ non paruiſſet: mirabantur alii: omnes optabant, ne aliquando ipſum pœniteat. *Sed nunc equidem,* ita ille ad me, *non pœnitet. Fateor, lautam eſſe conditionem, cum qua tamen præſentem ſtatum meum commutari nolim. At regerunt, non talem perpetuò manſurum; odia & inſidias non privatorum tantùm hominum, ſed & Illorum, à quibus omnia mea dependent, formidanda eſſe; miraculi inſtar fore, ſi incolumis perſtare poſſim. Ego verò me meo pallio involvo, Deo, & Sereniſſimi Electoris juſtitiæ confiſus. Quòd ſi aliorum malevolentia prævaleat, ferendum erit, quod mutari non poterit. Ut verò jam ipſe de ſtatione decedam, à qua me nemo juſſit decedere, ſuper qua nemo mihi litem movit, cùm nullum neque in dignitate mea, neque in commodis, aut emolumentis hucuſque detrimentum paſſus fuerim; non video conſultum eſſe. Non in Academia ſolùm, ſed & in Eccleſiaſtico Senatu, quamvis hic duobus Aſſeſſoribus auctus ſit, primum locum teneo, & quando præſens ſum, ipſius Præſidis partes impleo, negotia proponendo, vota colligendo, juramenta expoſcendo, mandata inſinuando. Si quid majoris momenti me abſente agatur, id mecum deinde communicatur, adeò ut meticuloſior juſto viderer, ſi hæc omnia desererem. At aulicis conſiliis non interſum. Hanc libertatem jam*

Neque quòd non paruiſſet, eum pænituit, liber à metu malorum, quæ ei impendere videbantur.

ſum-

mis votis dudum expetieram, & me jam à defuncto Electore ex parte obtinuiſſe, memini me ad Te ſcribere. Ut alii rerum ſummam teneant, nihil invideo, quin mihi lætor, & illis gratulor. Jam pridem iſtiuſmodi rerum faſtidioſus eſſe cœpi. At ſenſim malevoli me perditum eunt, paulatim & occultè authoritatem meam labefactando. In Dei manu ſunt omnia. Ego quibuscunque technis oppono ſimplicem veritatem, & invariatum vitæ tenorem. His præſidiis ſi tutus eſſe nequeam, neſcio an alibi tutus eſſe poſſem. Et paulò poſt: *Dei gratia nemo mihi hucuſque obeſſe potuit, licet, quod opponam, nihil ſit præter irretortum ſtudium recti.* Quis non Fabritium Catonem noſtri temporis, & perfectum, qualem Catonem Cicero dixit, Stoïcum, ſed Chriſtianum tamen, admiretur? Cuncti ipſi metuebant graviter: ille ſibi metuebat nihil, ſola rectè factorum conſcientia, quæ ſatis amplum virtuti theatrum eſt, fretus. Speculum inprimis ille poſteris pietatis prudentis, cordatæ & patientis erit. Inſerviverat ille viginti annos Principi ſapientiſſimo ſanè, ſed qui nihil obſequio ſubditorum iis etiam in rebus, quæ non in univerſum approbabantur, carius habuit. Et conſtat ſatis, paucos ſtabilem fortunam poſſediſſe, qui in quibusdam ſaltem, quorum quæſitiorem ſenſum Princeps habuit, fortiter, non obnoxiè, ſententias dicerent, & non cum fortuna potiùs Principis, quàm cum ipſo loquerentur. Solus ferè Fabritius, cum Solone ubique συμβουλεύων μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ κάλλιστα *conſulens non quæ ſuaviſſima, ſed quæ optima ſint*, æquabili apud Principem auctoritate & gratia valebat. Liberè enim loquebatur cum Principe, ſed non de Principe; & modeſtè cuncta, imitatus Hephæſtionem, qui quod libertatis in admonendo Alexandro jus habuit, ita uſurpavit, ut magis à Rege permiſſum, quàm vindicatum ab eo videretur. Vocatus haud rarò ad conſilium de Republica etiam dandum, invitus, quippe faſtidiens illa, quæ homini ſacro non conveniebant, paruit; ſed vocatus tamen paruit, non alia mercede, quàm gloriæ obſequii; & conſilii ſui cautioris ſemper & tutioris, quàm ſpecioſioris & acrioris copiam fecit. quod magni ut plurimùm Ele-

Ejus pietas conſtans, prudens, & patiens, quam ſub defuncto Electore ad conſilia etiam de Republica danda vocatus, retinuit, laudatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

ctor fecerat, felicem eum eſſe in conſilio, & clarum in eventu dictitans. Neque ille inimicus erat conſiliis, quorum author ipſe non fuit; unum pulcherrimúmque certamen ſuſtinens, quinam rectiùs conſulerent. Religionis, quam ſibi *Evangeliorum, non temporum eſſe* cum Cypriano crebrò dixerat, legum publicarum, ſalutis Reipublicæ, conſcientiæ & incolumitatis Principis curam ubique habuit, atque id etiam vehementer ſategit, ut unico pretioſiſſimo illi Germini, Dignitatis Electoralis hæredi, adverſus Sinones quoſdam conſuleret. De cætero privatis quorundam conſiliis, calidis & audacibus, primò lætis, eventu triſtibus, nunquam aſſenſus eſt. Poſſem ego ex ſecretioribus memorare conſilium de matrimonio Principis ſaluberrimum, quod & legibus congruebat, & ſimul conſcientiæ ſatisfacere, ſimul Rempublicam in tuto collocare aptum natum erat. Sed fatorum lex inexorabilis optimorum etiam conſiliorum vim eluſit. De cætero conſtans Principis erga Fabritium gratia ſuſpiciones plurium, æmulorum inprimis, irritaverat, tanquam ille fœdis adulationibus eam conſervaret. Et gliſcebant ſuſpiciones ſilentio ejus, quamdiu Elector vixit. Quo demum mortuo, qui ante latebant inimici, facto agmine in ipſum irruebant, everſuri eum, ſi qua liceret. Sed ille metu omni liber, diſpoſitam vitam ſuam, ſimilem certo curſui ſiderum, uſque ſecutus, eò conſtantia, prudentia & patientia rem ſuam perduxit, ut ejus non innocentia duntaxat, ſed etiam pietas, conſiliorum probitas, & animi rectitudo in toto orbe clariſſimè eniteſceret: & quemadmodum hoſtes nonnulli ejus ferali exitu ſuo fugiendæ ambitionis, avaritiæ, ſimulationis, malarum artium argumentum præbuerunt, ita ipſe virtutis per adverſa mirè exercitæ, & Deum, quo authore omnia fiunt, ſine murmure comitantis; conſtantiæ adamantinæ, quam ille *irretortum recti ſtudium* ſevera voce appellavit; ſapientiæ, fortunæ domitricis, atque patientiæ victricis, & quod tanta cujuſque bona & mala ſint, quantus eſt animus, qui ea ſuſtinet, exemplum documentúmque exiſteret.

Electoris defuncti erga ipſum gratia ſuſpiciones adverſus eum irritavit. quas ſilentium ejus auxit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

ſteret. Sed hac de re plura referre piget, cùm & æmulorum Fabritii parum pia, & profeſſione ſancta indigna molimina ſine pudore non retulerim, nec, poſtquam inprimis omnes eadem aliis quiete ſopiti ſunt, relaturus omnino, &, quantum mihi licuiſſet, æterna potiùs oblivione contriturus fuerim, niſi & honoris Fabritii vindicandi neceſſitas, & exempli ejus imitandi bonis omnibus commendatio id poſtulaſſet. De cætero is inter moleſta certamina Muſis ſuis canere non deſiit. Edidit enim eodem anno pulcherrimam *διάλεξιν de Limitibus obſequii erga homines*; præſcripto eidem honoris gratia nomine Illuſtriſſimi CAROLI BERTIE, Filii Comitis de Lindſey, &c. S. Britannicæ Majeſtatis Conſiliarii, & ad plures Germaniæ Principes Ablegati Extraordinarii. Cùm enim homines ſanctiſſimas præceptiones, quibus jubemur tum Poteſtatibus ſupereminentibus ſubjici, tum Deo potiùs quàm hominibus obedire, inſtitutis ſuis adaptare, iiſque, contra earum naturam ac tenorem, ad proſequendos fines ſuos flagitioſiſſimè abuti ſoleant, earum abuſum à genuino uſu, & perverſam accommodationem à juſta praxi ſecerni neceſſe duxit. Neque ſecerni poſſe, niſi certis limitibus, quibus obedientia erga homines contineatur, quò & de aliorum actionibus rectiùs judicare, & ſuas, abſque erroris periculo aut formidine, dirigere quiſque valeat, verè judicavit. Re ultro citróque agitata, hac denique regula, velut adamante quodam limites obſequii fixit. *Si certò*, inquit ille, *ſcias quippiam ab humana poteſtate præceptum eſſe, at non æquè certò & evidenter* (poſt exploratam ſeriò & maturè voluntatem Dei) *ſcias, id ipſum eſſe à Deo prohibitum, humanæ poteſtati obtemperare debes, neque licet iſta exceptione uti, quòd Deo potiùs obediendum ſit, quàm hominibus. Alias certum Dei mandatum incertæ prohibitioni præferres. Verùm ſi quid à creata poteſtate mandatum eſſe certò nôſti, & vel certiùs, vel evidentiùs, vel ſaltem æquè certò & evidenter cognoveris, id ipſum à Deo prohiberi, clarum eſt, tibi exceptione iſta utendum, & Divinæ potiùs prohibitioni, quàm humanæ præceptioni parendum eſſe.*

Edit διάλεξιν de limitibus obſequii humani.

eſſe. Id quoque pariter valet, ubi Deus aliquid jubet, quod homines prohibent. Hac regula uſum eſſe Auguſtinum oſtendit, & ad ejuſdem amuſſim caſus varios, qui circa ea ipſa tempora inciderant; velut, Si Princeps ritum Divinitus non prohibitum, & adiaphorum, qualis eſt, ſtando, vel de geniculis orare, præſcribat: Si in bellum, de cujus juſtitia quis dubitat, prodire jubeat: Si conventus eccleſiaſticos ſolenni interdicto inhibeat (ubi Epiſcopii ſententiam fallacem ad partes vocat:) Si idem in flagranti delicto vivens, & in eo perſeverans Synaxeos ſymbolum ſibi exhiberi imperet: Si herus ſuper facto illicito, quod ipſo inconſulto, ac priùs inconſcio ille ſuſceperat, atque jam confecerat, teſtimonium efflagitet; ſcitiſſimè exegit. Sed meminiſſe tamen conſtanter oportere præcavit, quòd, quamvis in iis, quæ licita ſunt, obſequioſos eſſe oporteat; in iis tamen, quæ à Deo prohibita eſſe certò & evidenter conſtat, rigidos & immotos eſſe deceat, ut quiſque illum conſtantis viri characterem vita & moribus exprimat, quem Poëta, Ethnicus licet, & ex Epicuræorum tribu (Horatius *lib. III. Od. 3.*) elegantiſſimo hoc carmine expreſſit:

Juſtum & tenacem propoſiti virum
Non civium ardor, prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida; neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis Jovis manus;
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Poſt etiam Fratres Ignatianos, alióſque cæcam & ἀδοκίμαστον obedientiam hominibus jurantes, & Ignatium in Conſtitutionibus Societatis diſertè præcipientem, *ut ſocii cadaveris & baculi inſtar ſint, & omnia, quæ à Superioribus iis injunguntur, juſta eſſe ſibi perſuadeant;* ad Lydium hunc lapidem exigit, atque impietatis manifeſtæ convincit. Mox verò ſtudia Fabritii lethalis morbus interpellavit. Calculus enim veſicæ, orificium totum occupans, urinam ſup-

Lethaliter decumbit.

preſ-

preſſerat, jamque Medici de veſicæ diſruptione ſoliciti, extrema ipſi paraverant. Sed ſingulari Dei beneficio, dum calculus transverſim jacens ſitum mutavit, & ſubitò erupit, præter ſpem omnium liberatus eſt.

1682. *Urſini Cachesin, & Calvini inſtitutiones examinandis pro Miniſterio conſequendo præſcribit.*

Placuit dein juventuti ad Miniſterium aſpiranti, quò feliciùs examina procederent, ſingulari ratione conſulere. Diu enim Fabritii animo cura inſederat commendandi, imò præſcribendi novitiis authorem communiter receptum, juxta quem examina pro Miniſterio inſtituerentur, experientia docente, diſcentes varietate Syſtematum diſtrahi, atque ita notiones eorum confundi, ut cùm examini ſe ſtiterint, in obviis & facilimis etiam hæſitent, & parùm feliciter ſe expediant. Cúmque minùs conſultum viſum ſit, recentius aliquod Syſtema præſcribere, ne partium nomina, & cum iisdem partes ipſæ aſſumi videantur, Calvini Inſtitutiones, & Urſini Catecheſin, à Palatinis Theologis communi calculo approbatam, juxta quarum normam illi explorentur, vel potiùs, quibus ſtudioſi, catechetæ futuri, inſueſcant, Palatinis ſtudioſis præſcribere placuit. Quod conſilium cùm Ipſi Sereniſſimo Electori approbâſſent, occaſionem dedit fabulæ, ejuſmodi reformationem Academiæ illius, non ſine Fabritii, ſubinde Coccejum de Fœdere, ejúſque Summam explicantis, contumelia, ab Electore inſtitutam eſſe, per quam recentiores Theologi ita proſcripti ſint, ut deinceps eos publicè vel privatim docere nefas omnibus ſit. Sed Fabritius ipſe, conſilii & decreti præcipuus author, ut ſparſum rumorem contrario exemplo refutaret, eodem anno libellum Cocceji de Fœdere Dei publicè explicavit, & privatim non ſemel tradidit.

1683. *Fabritius & Collegæ ejus à Tinenſi denuo tentantur.*

Sequentis anni menſe Novembri Tinenſis Epiſcopus Heidelbergam rediit, ſperans fore, ut à recenti Electore impetret, quod à defuncto fruſtra ſibi promiſerat. Elector Fabritio & Collegis ejus clariſſimis, Friderico Miegio, & Iohanni Wilhelmo Matthæo in mandatis dedit, ut propoſitum ejus percontentur, & de eodem ſic cum ipſo prudenter & circumſpectè conferant, ut de religione ſeorſim & privatim,

tim, nec non ſine auctoritate & poteſtate à Papa ipſi collata, & quæſtione inſuper de infallibilitate Romanæ Eccleſiæ, & ſpirituali Papæ in omnes baptizatos jurisdictione non priùs deciſa, paciſcendi inſuperabiles difficultates ipſi ex vero repræſentent, ſpemque ſucceſſus ex tali agendi modo omnem adimant. Id cùm rationum invictarum ponderibus ei propoſitis præſtitiſſent, inſtare ille velut odio, & tundendo, ſaltem judicii ſui de Confeſſione communi, quam ille à ſe adornatam antehac exhibuerat, copiam facerent. Cúmque nec hoc ſibi licere, metu ſecuturæ ipſos inter Proteſtantes diſcordiæ & diſſidii, Palatini regeſſiſſent, & Confeſſiones Proteſtantium in aperta luce poſitas conſenſum & diſſenſum Evangelicos inter & Romanenſes clariſſimè decidere aſſeveráſſent, ille frontē contrahere, indignari vehementer, & poſtero die querelas apud Electorem graviſſimas movere, quòd ſic Chriſtiana charitas, quæ pacis ſtudium ſeverè commendet, violetur; Cæſaris, qui, privatis ſententiis & ſuffragiis ſuccinctus, in plenis Comitiis negotium agitare conſtituerit, propoſitum ſufflaminetur, imò ejus authoritas vili floccique pendatur; Palatini ſe ipſos à Proteſtantibus reliquis, qui jam Confeſſioni illi ſubſcripſerint, ſeparent, & ceu apertos ſchiſmaticos, Chriſti & Corporis Chriſti hoſtes turpiter prodant, reliquorúmque violentiæ & Dei ipſius maledictioni objiciant; denique etiam Hungarorum Proteſtantium, quorum potiſſimùm cauſa Cæſar concordiam ejuſmodi moliatur, capitibus majus infortunium inconcilient. Tales ille ſententias & diras prolocutus, quid monſtri aleret, ambiguum nemini reliquit. Fabritius certè, Collegarum nomine ſcripto ad Electorem exarato, veteratorias Tinenſis artes egregiè apricatus eſt, juſſique ſic ab Electore Theologi ſunt, generali reſponſo, ore ſolo, non ſcripto tenus depromendo, apud Tinenſem defungi. quo accepto ille properè Heidelberga diſceſſit. Occaſione negotii illius cum Tinenſe peracti deteſtabilis adverſus Fabricium calumnia publicè patefacta eſt. de qua ſe vehementer Deum laudare, & experientia edoceri,

Judicium ſuum de Confeſſione communi oblata perhibere renuentes à Tinenſi increpantur, & negotium evaneſcit.

ri, quòd patientia victrix ſit, die XXVII. Novemb. ad me lœ-
tabundis ſcripſit. Sed deploravit tamen vehementer ſor-

De moliminibus Cleri Romani quiritatur.

tem Eccleſiæ, adverſus quam à Clero Romano conſilia
pernicioſiſſima agitari, exploratum ſe, licet nec divinum,
nec ariolum, habere ajebat; & mox conſiliis in nervum
erumpentibus patefactum eſt. Et initium quidem fatalis 1685.

Mors Electoris Caroli.

& terribilis Eccleſiæ converſionis à Palatinatu factum eſt,
quando Elector CAROLUS, diu cum pertinaci morbo
conflictatus, die XVI. Maji A. MDCLXXXV. præmaturo,
& nunquam ſatis deflendo obitu ſimul mortalitatem ex-
plevit, ſimul Guilhelmino ſanguini finem impoſuit, &,
quod graviſſimum omnium erat, non tantùm tot ſpes &
gaudia uno die in diverſa convertit, ſed etiam Eccleſiam,
Principe orthodoxo orbam deinceps, extremum in diſcri-
men conjecit. Improviſum & inſanabile vulnus graviſſi-

Fabritii ob eandem trepidatio.

mo dolore bonos omnes confudit, Fabritium inprimis, qui
quindecim ante annos, Principe adhuc vegeto, fida valetu-
dine uſo, & nondum deſperata fœcunditate thori, ad me
ſcripſerat, *frigido horrore ſe concuti, quoties cogitatio animum
ſuum ſubiret, Principem mortalem eſſe.* Nunc verò eo mortuo,
& in Libitinæ cenſum vocato, triſtibus certiſque notis ſibi
certamina ingentia, & imminentium calamitatum fune-
ſtum agmen, Eccleſiæ verò Palatinæ impendens humani-
tus exitium auguratus eſt. *Ingentes dolores*, ſic ille ad me,
*ſtupent. Hinc ne mireris ſilentium meum. Luctu refugit mens
iſtorum meminiſſe. Optimum Principem, meum olim dulciſſimum
Alumnum ac Diſcipulum, nefariis adulatorum artibus in diſcri-
men adductum, & tandem nobis ereptum lugeo & lachrymor.
Jactura irreparabilis eſt. Nec tamen tantopere mihi doleo, quàm
Eccleſiæ. Etſi enim Sereniſſimus Elector, Princeps Neoburgicus,
ſingulari prudentia atque animi moderatione, quam ex maxima
rerum arduarum experientia firmavit, ſummam nobis ſpem præ-
beat, attamen.* cætera divinare, quàm legere præſtat. Ad

Ejusdem rebus fere deploratis vigilantia, ab Electore Branden-

acidulas Spadenſes conceſſurus Fabritius erat; ſed in ſta-
tione ſibi permanendum, & vigilandum, ne vel Eccleſia, vel
Academia, vel Collegium Sapientiæ detrimenti aliquid pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Burgica laudata & extimulata.

tiatur, putavit. Rebus certè eum in cardinem adductis, & in deliquii tanti puncto hærentibus, poſt Deum in Fabritii prudentia, vigilantia & moderatione ſingulari, quæ plura, quàm vis componere ſolet, non exigua ſpes bonorum omnium repoſita fuit. Quod etiam Sereniſſimus Elector Brandenburgicus, FRIDERICUS GUILHELMUS, Seculi noſtri Hercules, agnovit. qui paulò poſt, ſcriptis clementiſſimis ad Fabritium literis, ejus, deploratis adeò rebus, dexteritatem, induſtriam, prudentiam, curam pervigilem, & moderationem, virtutes conjugatas, & tali in ſtatu ſummopere neceſſarias, vehementer laudavit, atque eundem, ut in irruptione per virtutes illas ſtare ſedulò pergeret, & ſtare alios exemplo ſuo doceret, caverétque inprimis, ne, qui Eccleſiæ malè cupiunt, Zelo intempeſtivo à quoquam exulcerentur magis, & ad hoſtilitatem irritentur; efficaciſſimis verbis extimulavit. Cui etiam ſupra gratiæ Divinæ præſidium, quod ipſi optavit, Principalem Clementiam in aliis etiam obligaverat. Quod & tanto Principe, Eccleſiæ Nutritio ſummo, digniſſimum erat; & Fabritio ad conſtantiam in officio rite obeundo faces ſubdidit. Eodem anno Fabritius geminam διάλεξιν luci publicæ expoſuit. *Priore* collatis Theologorum Reformatorum, Calvini, Bezæ, Zvvinglii & Walæi; nec non Lutheranorum, Lutheri ipſius, Formulæ Concordiæ, Chemnitii, Gerhardi, Brochmanni & Hulſemanni, de fide infantulorum ſententiis, oſtendit, Controverſiam de Fide Infantulorum inter Evangelicos hucuſque agitatam nullam eſſe. Nam utroſque infantibus Spiritum S. fidei authorem, & ejuſdem operationem & actionem aliquam, quia nuſpiam otioſus eſt, tribuere; ſed modum, quo Spiritus S. fidem in iis operatur, & qua credunt, neutros definire, ſatis habentes dicere, quòd non eodem modo fidem acquirant, vel credant, quo adulti. Hæc ille pio minuendi controverſias ſtudio propoſuit. *Poſteriore* veritati dare conatus eſt, quòd controverſia de Baptiſmo per hominem privatum vel mulierem in caſu neceſſitatis adminiſtrato,

Fabritius geminam διάλεξιν edit; Priorem de fide infantulorum;

Poſteriorem de Miniſtro Baptiſmi.

non

non ad capita Fidei,ſed ad quæſtiones de εὐταξίᾳ pertineat. Divina enim lege ſanciri, ut omnia ordine fiant. Ordinis porro rationem in eo maximè conſiſtere, ut quiſque officio ſibi commiſſo fungatur. Dum igitur in Eccleſiis noſtris cuivis viro commiſſum non eſt,multò minùs mulieri, ut Sacramenta adminiſtret, fas iis non eſſe, ut munus iſthuc ad ſe rapiant. Si quis autem vir (laicum etiam intelligit) ab Eccleſia ad hunc actum peragendum conſtituatur, & quaſi delegetur, jam illum, ſi eum peragat,nihil præter officium facere,neque bonum ordinem,nedum fidem turbare, non opinatus duntaxat ille eſt, ſed etiam opinioni conſentientes non veteres tantùm, ſed etiam recentiores,Zanchium,Voetium & Zvvinglium induxit. Reliquos verò Theologos in alia omnia euntes,non alio quàm ordinis & vocationis Eccleſiæ argumento niti, oſtendit. Viſus nonnullis eſt Fabritius nonnihil à recepta ſententia deflectere hactenus, quòd laicis,miniſterium Eccleſiæ non obeuntibus, jus baptizandi ex Eccleſiæ delegatione competere; & ordinem Eccleſiæ non ab Eccleſia, ſed à Chriſto, uti videtur,inſtitutum mutari poſſe affirmavit. Cæterùm non contemnendis authoritatibus veterum & recentiorum Theologorum munitus id affirmavit,ut ſententia ejus ſaltem ἰδιογνωμοσύνη cenſeri non poſſit: & dempta ſuperſtitione elementorum,atque neceſſitatis Baptiſmi, qualem elementorum vel adoratores,vel admiratores nimii tuentur,problema relinqui videtur; in quo alterutram in partem determinando, incolumi fidei compage,liber,ſaltem non pernicioſus diſſenſus eſſe poteſt. Diſſertationi illi ſubjecit corollaria de *Hypocriſi*, quod peccatum & vulgatum nimis, & graviſſimum idem, cane pejus & angue oderat. *Ejusdem Corollaria de Hypocriſi.* Impiam inprimis, & ſacrilegam, Divini Numinis majeſtatem inſolenter protervéque oblædentem Hierophantarum, quibus cum ipſi res erat,hypocriſin deteſtatus eſt,qui cum ſubtiliſſima quadam,ſed tantò perículoſiori,& magis myſtica idololatria, atque, uti loqui ſolebat,Antichriſtianitate, ſemet ipſos Dei & Chriſti loco ponunt,dum lites ſuas,

ex ambitionis intemperie ut plurimùm enatas, confeſtim Dei cauſam eſſe jactant, ſuíque animi impotentiam, & maleſanam vindictæ cupiditatem ſanctiſſimo Divini Zeli nomine obtexunt. Ille ergo pauciſſimis verbis hypocriſeos naturam conſignatiſſimè expreſſit & conſtrinxit, ajens, *deteſtabiliſſimum genus Atheiſmi eſſe, utpote in qua ſit ludificatio Numinis Divini, ſimplici abnegatione longè ſceleratior. Ideo Deum tertio Decalogi præcepto indignationis ſuæ teſtificationem & pœnæ ſanctionem adjeciſſe.* Signa porro diagnoſtica hypocriſeos peſſimæ duo ſtatuit, *diſcrepantiam verborum à factis, & excolationem culicum cum camelorum deglutitione conjunctam.* Nec mirum eſt, Fabritii animum tanto adverſus hypocriſin & hypocritas odio æſtuaſſe, cùm nativæ & ſimplicis probitatis, ſi cujus virtutis alterius, laude inprimis excelluerit. In eo enim naturalis quædam ingenii bonitas, & inaffectata virtutis indoles vigebat, quam penitus inſitam, & abditiſſimis radicibus defixam nulla vis vel tempeſtas de ſtatu movere, nulla honoris aura labefactare potuit. Sic pro modulo infirmitatis ſuæ vivebat, tanquam in conſpectu omnium viveret: ſic cogitabat, tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſet: ſic vivebat coram hominibus, tanquam Deus videret: ſic loquebatur cum Deo, tanquam homines audirent. Cæteris ſic ignoſcebat, tanquam ipſe quotidie peccaret: ita peccatis abſtinebat, tanquam nemini ignoſceret. Neque unquam privatim ſibi gratiam fecit eorum, quæ publicè prohiberi videbat, ſed populo ſpectante fieri credidit, quicquid ſe conſcio fecit; nunquam rectè faciens, ut facere videretur, ſed quia aliter faciendum non eſſe conſcivit. Nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam retulit, rectè facti mercedem non ex ſermone, ſed ex facto petens, potiúſque habens, gratis honeſta ſequi, quàm ex mercede delinquere. Ab amore ejus omnis ſimulatio aberat, eligens ſibi, quod perpetim animum, memoriam & oculos feriret, ſymbolum: Ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος. *Charitas ſine ſimulatione.* In religione, cultu Dei, omnique vita hac inter alia dona pluſquam egregia præcipuum habuit,

Probitas ejus ἀνυπόκριτος laudatur.

quòd

quòd ad laudem, qua Zvvinglium Gualtherus decoraverat, aſpirans, quàm minimùm rebus externis, omnem verò ſalutis ſummam ſoli Chriſto, Regi & Salvatori noſtro unico transſcribere conſuevit, gnarus optimè, quantò major vis ceremoniis & ritibus externis, humanis inprimis, tribuitur, tantò plus non tantùm libertati Chriſtianæ, ſed & Chriſto, ejúſque fidei detrahi. dum vulgus ea quærit in ritibus, quæ in ſolo Filio Dei, Ieſu Chriſto, quærenda ſunt. Perculit dein Fabritium non parum horrendum Dei judicium, quo is in illum ipſum Hierophantam, qui, Electore CAROLO, dominationem flagitiosè exercuit, & omnium pœne turbarum & tempeſtatum, adverſus Fabritium inde ab Electoris CAROLI LUDOVICI obitu motarum, unus ferè Æolus extitit, omnéſque, quod poſt mortem CAROLI ex Conſiliariorum, Secretariorum & aliorum depoſitione innotuit, ſubvertendi ejus occaſiones captavit, graviter animadvertit.

Judicium Dei adverſus Fabritii hoſtem capitalem eundem perculit.

Cujus utinam memoria ex faſtis deleri poſſet! Cùm tamen infamiæ illius tanta magnitudo ſit, ut vix ulla oblivio eam obliteratura videatur, pauca, quæ pridem in ora vulgi abierunt, commemoranda nobis ſunt, ut Fabritii animus placabilis, & ab omni ulciſcendi libidine alienus conſpectior fiat. Accuſabatur, imò læſæ Divinæ & Humanæ Majeſtatis crimine arceſſebatur Hierophanta à Regiis Danis, aliiſque Miniſtris. Re à Proteſtantium etiam Principum Legatis accuratè penſitata, & inſpectis documentis, reus, cùm ex Senatu Eccleſiaſtico cum Fabritio exiviſſet, domúmque rediiſſet, trium militum præſidiariorum ope in cubiculo detentus cuſtoditúſque eſt. Fabritius cum animo ſuo reputans, quantum inde opprobrium in totum ordinem Eccleſiaſticum, iſthac inprimis tempeſtate, quinimo in Reformatæ religionis confeſſores Palatinos univerſos redundet, in Senatu Eccleſiaſtico propoſuit, & cum Legato Brandenburgico egit, numquid honori rei quadantenus conſuli poſſit? Reſponſum, meliùs eos religioni conſulturos, ſi vindictam potiùs urgeant, quàm pro reo intercedant. Illi ergo tum quieſcere, totúm-

Fabritius vindicta omni abſtinens, rei vitæ & honori conſultum voluit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

túmque negotium Deo & judicibus committere. Sed paulò poſt Elector PHILIPPUS WILHELMUS, Danicis Legatis actoribus facturus ſatis, à Fabritio & Collegis de tota rei captivi cauſa, epiſtolis inprimis novem, quas ad Electorem CAROLUM de matrimonio dederat, conſilium expetiit, anquirens ex iisdem, annon Epiſtolarum illarum, nec non carminis, quæ ex ſcriniis producta offerebantur, author pro homine impio & blaſphemo habendus ſit? Qua in quæſtione deciſa cardo vitæ & capitis rei vertebatur. Fabritius Collegarum nomine conſilium literis conſignavit, in quo, ſummo judicio, & pari moderatione atque ἐπιεικείᾳ uſus, ſic ad vivum cuncta illa reſecuit, & profligatam authoris conſcientiam in aprico collocavit, ut pro deciſione quæſtionis materialem & formalem blaſphemiam diſtinxerit, atque tali temperamento ſimul honori Dei & verbi ejus, cujus turpiſſimè profanati reum hominem peregit, ſimul vitæ rei efficaciter conſulerit. Nam in reum infami quidem & ignominioſo ſupplicio animadverſum, at in vitam ejus nihil durius conſultum eſt. Conſilium illud cætera lectu digniſſimum, & ex quo inprimis vaſtum Fabritii ingenium, & moderatio adverſus capitalem inimicum ſumma emicat, infida & hoſtili quapiam adverſus reum manu typis commiſſum ubi vidit Fabritius, graviſſimè indignatus eſt, ratus quippe, Sereniſſimorum & Sereniſſimarum Principum honori cavendum fuiſſe, ne interiora negotii adeò inauſpicati apertæ luci exponerentur, & famæ poſteriſque noſcenda proponerentur. Acceſſit & illud, quòd cùm infamis proſtitutio rei in theatro & publicis numellis, & per urbem circumductio, triſtiſſimum bonis omnibus ſpectaculum, lætiſſimum verò vindictæ affectu percitis, & Eccleſiæ hoſtibus, ex ſententia judicum iterari debuerit, Fabritii & Collegarum ſeria interceſſione effectum eſt, ut Sereniſſimi Electoris mandato, theatrum dejici jubentis, omiſſa, multúmque adeò infamiæ à reo âverruncatum fuerit. Profectò inter exempla Fabritius omnibus erit, quòd privatas injurias, graviſſimas etiam

Quo nomine inter exempla

nec

nec ulciſci, nec exequi fas ſit, & hoſtes ſuos diligere, exe-crantibus benedicere, odio habentibus benefacere, & pro Sycophantis & perſecutoribus precari, pietatis & perfe-ctionis Chriſtianæ non poſtrema pars ſit. Nam qui canis inſtar in lapidem projectum ſæviunt, næ illi malorum ſuorum authorem ignorant, & cùm ſe ipſos judicare debe-rent, Dei ipſius flagella, ad caſtigandos ſuos ſummiſſa, fla-gellare religioni non ducunt.

poſteris erit.

Menſe Octobri ejuſdem an-ni Elector novus liberum Romani cultus exercitium per univerſum Palatinatum introduxit. Senatus Eccleſiaſticus, cui per pacta religionis poteſtas ceſſerat, anteſignano Fabri-tio, libellis ſupplicibus pluribus edicto nequicquam inter-ceſſerat. Quin potiùs mandatum fuit, ut per Miniſtros ver-bi Divini in Eccleſiis Evangelicis ex Cathedra prælegere-tur. Fabritius id conſcientiæ & libertati Evangelicorum, præſertim quantum ad articulum mandati tertium, nec non verba quædam ambiguè poſita, quæ innuere videban-tur, quaſi Exercitium Romanæ religionis in Evangelico-rum Templis ſimul celebrandi licentia daretur, penitus adverſari queſtus, Declarationem aliquantò mitiorem ob-tinuit. Nam Sereniſſimus Elector ipſi in aulam iteratò ac-cerſito, alio longè modo, quàm Conſiliarii ejus, mentem ſuam expoſuit, quin & ſponte ſua, data quoque dextra ei promiſit, ſe de Templis aut bonis Eccleſiaſticis Reformato-rum nihil decerpturum, neque ſe hoc unquam intendiſſe, quod tamen conſiliarii & Clerici ejus maximè intende-rant. Mox Declaratio iſthæc, loco mandati typis excuſi, in Templis Evangelicorum per univerſum Palatinatum promulgata eſt. Quæſtionem verò, an liceat Principi li-berum religionis exercitium abſque ſubditorum conſen-ſu ubivis introducere, quia in Pacis inſtrumento indeciſa videbatur, Comitiis Imperialibus decidendam relinque-re placuit.

Exercitio Religionis Romanæ in Palatinatu promulgando fruſtra intercedens, declarationem tamen exercitii ſimultanei non introducendi ab Electore impetrat.

1686. Inter triſtiſſima hæc, Academiæ Heidelbergen-ſis Feſtum Seculare tertium die XXV. XXVI. XXVII. Novem-bris A. MDCLXXXVI. magna ſolennitate celebratum eſt. Academiam eam A. MCCCXLVI. fundatam, demum ante

Academiæ Heidelbergenſis Feſtum Secu-

lare ſer-tium.

ante annos hos integros trecentos RUPERTUS Palatinus, Rex Romanorum glorioſiſſimus, die XXIII. Novemb. MCCCLXXXVI. ſolenniter inſtituit, & ſequente anno Urbanus VI. Pontifex confirmavit. Seniculæ & Neſtoreæ Academiæ ſolenne adeò feſtum in diem XVIII. Novemb. incidere debuerat. Sed novi Sereniſſimi Electoris Natalis dies in ejuſdem menſis diem XXV. incidens in cauſa fuit, ut in eundem Feſtum prorogaretur, atque ita utriuſque & Academiæ, & Electoris Natalis ſimul celebraretur. Tum Fabritio, Facultatis Theologicæ Decano, & Friderico Miegio Brabeuta, ad augendum Feſti ſplendorem, ſupremi in Theologia honores Viris doctiſſimis & clariſſimis, Iohanni Laurentio *Crollio*, Nicolao *Gurtlero*, Henrico *Horchio*, & Iohanni Georgio *Füßlino* collati ſolenniter ſunt. Priores illi Dei gratia ſuperſtites de Eccleſia præclarè mereri pergunt; *Fueßlinus* Tigurinus, juvenis pietate & eruditione incomparabilis, eámque ob cauſam Fabritio longè chariſſimus, præmaturo & lugubri obitu mox ſpem de ſe conceptam ſummam deſeruit.

Calendarii Gregoriani in Palatinatum introductio.

Circa idem tempus Sereniſſimi Electoris mandato novi Calendarii obſervatio in Palatinatum introducta eſt. Fabritius una cum Collegis ſcripto exhibito monuerat, rem quidem in ſe politicam eſſe, & ad Principes ſpectare, qui ejus introducendi poteſtatem habeant, modò ne Eccleſiaſticæ libertati præjudicium fiat. Communicato cum aliis extra Palatinatum negotio, & penſitatis argumentis Theologicis, Sereniſſimum Electorem rogandum duxerant, dignetur ſcripto declarare, quòd novum iſthuc Calendarium ſubditis non præſcribatur ex aliis, quàm politicis rationibus, abſque ullo ad religionem pertinente motivo obſervandum, tum etiam, ne Reformati hoc prætextu ad alia Pontificiis propria feſta adſtringantur. Duas has conditiones Elector ſcripto manu ſua ſignato, & ad Senatum Eccleſiaſticum miſſo approbavit. quo facto Inſpectoribus, ut illud publicarent & obſervarent, reſcriptum eſt; contradicente nemine, & parentibus initiò omnibus.

1687. *Catechiſmi*

Mox Clerus Romanus lacertos commovit,

movit, &, Ieſuait Bodlero, Electoris Confeſſario claſſicum canente, impetus in Catecheſeos Heidelbergenſis quæſtionem octogeſimam, qua Miſſæ fundamentum nihil aliud eſſe, quàm abnegationem unici ſacrificii & paſſionis Ieſu Chriſti, & execrandam idololatriam, ſtatuitur, factus eſt. Hæc verba ex Catechiſmo ut expungerentur, omnem lapidem uncti inprimis & raſi moverant. Tentatus ante omnia à præcipuæ dignitatis viro Fabritius, annon verba hæc, & tam dirum & horribile carmen, pacis colendæ gratia, omitti poſſint? Ille, omitti poſſe, ſi Concilii Tridentini tot anathemata inducerentur, reſpondit. Illud inprimis grave, & præter expectationem accidit, quòd Pſeudo-Evangelici Aulico-Politici nonnulli, Pontificiis palpum obtrudere auſi, aſſertionem illam duriorem æquo, imò impiam & injurioſam, ſibi & ſuis parùm probari profeſſi ſunt. Fabritius διαλέξει Philopyſtum inter & Anagnoſten de quæſtione illa octogeſima inſtituta, ſimul convincendis illis, ſimul leniendæ invidiæ, fuſè diſertéque probatum ivit, neque ſolos, neque primos Palatinos fuiſſe, qui triplex iſtud, quod commemorent, inter ſacram à Servatore inſtitutam Cœnam, & Miſſæ hodiernæ ſacrificium, diſcrimen tradiderunt, & iſthuc Catecheſeos reſponſum ex Commentariis Lutheri, Brentii, ipſius etiam cætera manſuetiſſimi Melanchtonis, & Electoris Othonis Henrici, Lutheri indubii aſſeclæ, ordinatione Eccleſiaſtica concinnatum, & ad verbum transſcriptum eſſe; neque quicquam eo contineri, quin multis annis, antequam de negotio Reformationis in Electorali Palatinatu cogitaretur, publicis omnium Proteſtantium in Germania Principum, & Imperii Ordinum confeſſionibus inſertum fuerit. Addidit, in eo conſiſtere primarium Evangelicorum Regum, Electorũ, Principum & Statuum dogma, ſeparationiſque ab Eccleſia Romana fundamentum, ut qui hoc Catecheſeos reſponſum condemnet, Evangelicis accenſeri non poſſit, ac proinde, ſi quis ejus confeſſionem prohibitam, aut illicitam putet, is ipſam religionis libertatem in dubium vocare videatur. Diſſer-

Heidelbergenſis quæſtio LXXX. impetitur.

Fabritii de ea diſſertatio hiſtorica.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

tatio illa die XVIII. Ianuarii publicè ventilari debuerat. Sed adverſarii congreſſum cum Fabritio fugientes, ſimul ignominiam, ſi non congrederentur, metuentes, impetrarunt, ut ventilatio publica authoritate impediretur. Eodem anno ſuccinctas obſervationes ad reſponſi quæſtionis illius octogeſimæ intelligentiam typis mandari curavit; quibus ante omnia oſtendit, id quod ſub finem reſponſi verbis aſperioribus continetur, non enuntiari tanquam axioma, vel principium, ſed tanquam concluſionem ex antecedentibus illatam. Illationem porro bimembrem facit; *Priorem* quòd Miſſa abnegatio ſit non ſimpliciter ſacrificii Chriſti, ſed *Sacrificii Chriſti unici*, id eſt, quoniam in Miſſa quotidie ſacrificium repetitur, eo ipſo negari, quòd in cruce ſemel conſummatum fuerit. Atque id ipſum adverſarios ipſos haud diffiteri oſtendit, cùm nemo eorum dixerit, hanc ipſam tranſeuntem incruentam ſacrificandi actionem, quam hodie Sacerdos hic vel alibi peragit, eandem numero eſſe cum illa crucifixione, adeóque ſacrificii actione, quam ſedecim abhinc ſeculis, prope mœnia Hieroſolymorum, ſub Imperatore Tiberio, cum ſanguinis effuſione Chriſtus in cruce pendens exeruit. *Poſteriorem* illationem ait eſſe, quòd Miſſa ſit execranda idololatria, ex hoc principio deductam, quòd corpus Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus in ea adoretur, ubi tamen per transſubſtantiationem præſens non ſit. Etenim ſi corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini non ſit præſens, & tamen ſub illis ſpeciebus adoretur, committi idololatriam, ne ipſos quidem Romanos inficiari. Unde conficit, omnem diſputationem ad antecedens, ſeu aſſumptum devolvi, quòd panis & vinum in ipſum corpus Chriſti Euchariſticum, idque cum Divina natura hypoſtaticè unitum, adeóque ipſum Dei Filium transſubſtantiatum ſit. Quod enuntiatum ſive referatur ad *Evangelicos*, qui illud negant, illos idololatras fore, ſi adorarent id, quod Deum eſſe inficiantur: ſive ad *hypocritas*, in Eccleſia Romana latentes, & enuntiato illi fidem ſe habere falsò ſimulantes, illos Atheos fore, ſi nihilominus elementis Divinos honores exhibeant: ſive ad *Romano-Catholicos* vel il-

Ejuſdem circa quæſtionem illam obſervationes aliæ.

los, qui enuntiatum ex animo credentes, ex commodi alicujus temporalis ſpe, vel incommodi metu Chriſtum in Miſſa non adoraverint, quos contra conſcientiam agere docet: ſive ad *illos*, qui id ipſum, quod Numen eſſe credunt, ingenuè adorant; quos, ſi verum ſit axioma, rite facere; ſin, decipi miſerè, & in idololatriam ſaltem materialem incidere, colligit. Huc uſque ergo nihil vel injurioſum, vel calumniosè dictum, vel Paci religioſæ contrarium videri debere, ſiquidem hæc ipſa utrique parti libertatem principium ſuum docendi, atq; id verbis & ſcriptis defendendi, & juxta illud agendi, tribuit. dum id citra alterius partis injuriam vel deſpicientiam fiat; ad quam quidem, utpote in confinio ſitam, proclive ſit dilabi. Hæc ſapientiſſimè ſic dijudicata cùm vidiſſent adverſarii, propiùs cum verbis illis congredi auſi non ſunt; ſed toti reſponſo ad quæſtionem illam præjudicium creare ridiculè conati ſunt, aſſerentes per calumniam in ea dici, quòd in Miſſa negetur, vivos & mortuos habere remiſſionem peccatorum propter unicam Chriſti paſſionem, niſi etiamnum quotidie Chriſtus pro ipſis à ſacrificulo offeratur. Qui immanis nimis à principali quæſtione dogmatica ad quæſtionem facti ſaltus erat. Sed has quoque nebulas alii viri doctiſſimi feliciter diſpulerunt. De Calendario Gregoriano recens introducto ſupra diximus. Hoc verò tempore, incentoribus nonnullis, ſubditi per univerſum fere Palatinatum reniti, & in celebrandis Natalibus Chriſti vetus Calendarium ſequi. unde moleſtiſſimæ turbæ. Res enim tanquam ſeditioſa ad Electorem delata; & Fabritius apud eundem, ut machinator & ſeditioſus, apud plebem verò ut prævaricator traductus eſt. Sed apud utrumque cauſam ſuam tum ipſe, tum per alios egit: & Diſſertationi de quæſtione Catechetica octogeſima corollaria *de Faſtis* ſubjecit, quibus ſubditos Principi Calendarium, ex cauſis merè civilibus, & abſque ullo erga Pontificem, ut univerſalem Chriſti vicarium, obſequio præſcribenti, etiam propter conſcientiam obſequendum eſſe, ex ſententia Reformatorum omnium,

Adverſariorum ſtatum quæſtionis deſerentium fraudulentia.

Calumniæ adverſus Fabritium ob admiſſum Calendarium novum refuſæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

& quorundam etiam Lutheranorum, velut Reinkingii, quin & Lutheri ipſius, demonſtravit. Ita & hæc adverſus Fabritium procella deſæviit. Res profectò ancipitis plena aleæ eſt, navim ſuborta tempeſtate fluctuantem regere, quando imperitiſſimi & audaciſſimi quique navis rectorem increpare, & convitiis proſcindere religioni non ducunt. Id certè Fabritio uſu venit, conſpirantibus pluribus, ut laceſſerent ejus patientiam, & quantum ferre poſſet, experirentur.

1688. *Imhofium refellit.* Nam mox etiam Imhofius quidam apoſtata, Norimbergenſis patritius, & tum Bambergenſis conſiliarius, ejus Dialexi de quæſtione octogeſima Prosdialexin, partum non ſolidum, ſed ſubventaneum, vernaculo idiomate oppoſuit. Non merebatur equidem prolixam refutationem homo ſummæ impudentiæ, ſolida ſcientia omni deſtitutus, & qui ſolùm ex malè conſarcinatis Locis, quos vocant, communibus futiliſſimas nugas repetiit, ſimul tamen maligno calamo quædam inſeruit, quæ ſine Sereniſſimi Electoris offenſa dilui vix poterant. Initium nihilominus refellendi hominem fecit, ſcripta die v. Aprilis. MDCLXXXVIII. ad Chriſtianum Philadelphum epiſtola prima, qua detectis adverſarii inſulſis narrationibus, & triſtibus nugis, inter alia ſui cum Pontificiis Maxumis, Medioxumis, Pſeudo-Lutheranis etiam Politicis, ſive caput quæſtuoſum demulcentibus, ſive inſitum veritatis odium, occaſione ſe aptante, propalare geſtientibus, ſuper quæſtione Catechiſmi octogeſima certaminis hiſtoriam fusè proſequitur. Quicquid equidem opis & conſilii Fabritio erat, id omne impenderat, ut Lutheranos ſibi conjunctos ſervaret. quod etiam commercio literario circa idem tempus cum Sculteto Hamburgenſi ſuper Concordia Proteſtantium, & Gratiæ Chriſti amplitudine inprimis, inſtituto, abundè probavit. Sed maturè tamen vehementer queſtus erat, eos, qui tum in aula rerum potiebantur, Lutheranos experiri ſe acriores & vehementiores hoſtes, quàm Romanos ipſos, ſive propria intemperie, ſive inſidiis & artibus horum inductos. Neque mirum id erat, cùm non-

nonnulli eorum mox palam in caſtra Romanenſium tranſierint; quorum tamen unius cor Deus percuſſit, ut, derelicta ſplendidiſſima ſtatione, ad ſuos, præcipitato ex aula abitu, redierit. Tali in ſtatu res erant, cùm denuo Germaniam, Palatinatum inprimis, bellum cladium, incendiorum & populationum atrocitate terribile, præcipitantibus fatis, infeſtum habere acriùs vehementiúsque, quàm unquam alias, cœpit. Poſtquam enim Gallus Philippiburgam ſubitò adortus, brevi tempore, hoſtili exercitu nullo excubante, ſub jugum miſit, terrore latiùs dato, Palatinatus belli ſedes & ferale theatrum evaſit. Brevi enim Palatinatum ferè univerſum, nemine protegente, & hoſtici adventus terrore perculſis omnibus, victoriis ſuis hoſtes peragraverant; & inter victoriarum præmia etiam Heidelberga fuit. Specioſis equidem, largisque promiſſionibus hoſtes victores religioni, Academiæ & populo caverant; & delectus etiam Fabritius eſt, qui pacta ſubſcriptione firmaret. Deſtinaverat is ſtationem ſuam non deſerere, ſed pro viribus ſuis fortiter tueri, & pro religionis inprimis, Eccleſiæ & Academiæ incolumitate in excubiis ſtare. Sed hoſtium anteſignani, quorum in poteſtate urbs erat, palam profitebantur, penes ſe non eſſe, ut promiſſorum fides exolvatur, quia alia omnia belli ratio poſtulare videatur. Mox igitur contra fidem datam Cancellaria claudi, Senatus Eccleſiaſtici & Oeconomiæ ejuſdem actiones atque adminiſtratio inhiberi, populus omnis, & Cancellariæ atque Academiæ ipſius præſtites exactionibus graviſſimis, & militum impoſita ſuſtentatione diris modis vexari, denique imperata facere negligentibus vis intentari. Deploratis adeò rebus neque operam ſuam ampliùs conducibilem Eccleſiæ vel Academiæ fore, & ſe in præſentiſſimo diſcrimine, ne à digreſſuro hoſte obſes poſtuletur, & vi abducatur, verſari vidit. At nec exitus liber in Germaniam patebat, & ſalvi conductus literæ ab hoſte ſolicitatæ negabantur. Omnis ergo jam in amicis Helvetiis ſpes ſita erat. quos ille impenſiſſimè rogavit, ut Scaphuſiani Magiſtratus, cujus civis erat, authori-

Heidelberga in Gallorum poteſtatem concedit.

tate & precibus Legatus Gallicus ad Helvetios commoveatur, quò literas ſalvi conductus pro ipſo à Rege impetrare contendat. Facilè id apud Magiſtratum, Fabritio faventiſſimum, opera amici veteris, & commilitonis quondam chariſſimi, Iohannis *Speiſeggeri*, Reipublicæ patriæ Archigrammatæi fideliſſimi, cujus in curando negotio ſumma fides emicuit, effectum eſt. Acceſſit & mea enixiſſima apud Magnificentiſſimum Reipublicæ Tigurinæ Conſulem, HENRICUM ESCHERUM, cujus mihi non ignotus erat ſummus erga Fabritium favor, commendatio.

Fabritius amicorum Helvetiorum ope ex præſentiſſimo diſcrimine liberatur.

1689. Annitentibus his per literas ad Legatum Tambonneau ſcriptas confectum feliciter negotium eſt. Impetratæ enim à Rege per Montclarium ſalvi conductus literæ ſunt, quibus acceptis liberi abitus facultatem Fabritius cùm obtinuiſſet, properè Francofurtum ad Mœnum conceſſit. Tantò magis præſtitum ſibi in ſummo periculo officium Fabritius æſtimabat, quantò certiùs ipſi conſtabat, quòd ad eandem, imò triſtiorem longè ſortem deſtinatus fuerit, quàm poſtea conjunctiſſimus & chariſſimus ipſi Collega Fridericus *Miegius* ſubiit: in quo ex truculentis hoſtium manibus eripiendo tum ipſius deinceps cogitationes omnes defixæ erant, tum meæ etiam curæ, quibus ipſi, cæteríſque obſidibus, ex tetro carcere liberandis, lytron haud contemnendum ab Helvetiæ Reformatæ Cantonibus impetratum eſt, haud infeliciter deſudârunt. Incolumitatem hanc ipſe Sereniſſimus Elector PHILIPPUS GUILHELMUS Fabritio per literas die XVII. Martii Neoburgo ad eum exaratas gratulari clementer dignatus eſt, ſimulque eum rogavit, ut Heidelbergam, tum ab hoſtibus relictam, quàm primùm repeteret, atque rem publicam curaret. Sed conclamatum jam de Eccleſiis Palatinis videbatur, quando Gallorum conſilia, cleri inſtinctu, in eo jam ſteterunt, ut Paſtoribus univerſis violenter ad fungendam obſidum vicem abductis, Eccleſiæ iiſdem orbarentur, atque ita Clero Pontificio prædabundo exponerentur. Iámque plures contra fas gentium, neque alio majore pretio, quàm

Miegius, aliique etiam paſtores Palatini Gallis obſides dantur.

quàm ut Eccleſiæ ſacrificulis paterent, pro obſidibus rapti, cæteros facilè perpulerunt, ut fuga ſibi conſulerent, ſubeuntibus mox in locum eorum ex locis vicinis Gallo ſubjectis Miſſionariis, qui Eccleſias, earúmque reditus invadebant. Inſcio Rege talia fieri fama tulit, & paulò poſt intercedentibus etiam, Fabritii ſolicitatione, Helvetiis, violentia iſthæc religioſa ceſſavit. Ejuſdem anni menſe Aprili Fabritius cum familia in Helvetiam iter fecit, gratias coram acturus ſoſpitatoribus ſuis, quorum opera ex Gallorum faucibus liber evaſit. Ante omnia Scaphuſium, patriam ſuam chariſſimam, & in eadem veteres amicos integerrimos, inprimis Conſulem Tobiam *Hollenderum*, Quæſtorem Conradum *Wepferum*, & Archigrammateum Iohannem *Speiſeggerum*, ſalutavit, & iisdem Soteria perſolvit. Eodem ei obviam ivi, quò maturiùs chariſſimi amici amplexu fruerer, eíque libertatem lætus geſtiénsque gratularer. Paucorum dierum moram ibi, nequicquam penulam ſcindentibus amicis, conſumpſit. poſt quam Tigurum à me deductus, haud invitus hoſpitalitatis teſſeram à me recepit; & mox à Venerando Eccleſiæ Antiſtite, D.D. *Antonio Klinglero*, Eccleſiæ nomine, ceu alter Petrus ab Angelo Dei ex carcere conductus, graviter compellatus ſalutatúsque eſt. Aliquot dein hebdomadas una cum conjuge chariſſima, ejúsque ex ſorore nepte, Celeberrimi Theologi Friderici Spanhemii filia lectiſſima, in contubernio meo per mutuam lætitiam, & feſtiva utiliſſimáque colloquia, gemella iis, quæ juvenibus interceſſerunt, tranſigere hoſpitum mortalium gratiſſimus dignatus eſt. Volupe ei inprimis fuit Proceres Reipublicæ, atq; inter eos Conſulem graviſſimum, D. HENRICUM ESCHERUM, quem præcipuum Soſpitatorem ſuum veneratus eſt; nec non Eccleſiæ Præſides, alióſque, quos plurimos heic numeraverat, amicos, comiter colere, & ex gratiſſima cum iis converſatione delicias ſibi facere. Tiguro Badam, ubi tum Amphictyonum Helvetiorum conſeſſus celebrabatur, ſeceſſit, tum valetudinem curaturus, tum ſecretiora quædam ex Belgio ſibi com-

Fabritius cum familia in Helvetiam proficiſcitur.

Badam concedit.

commiſſa in ſinum fidiſſimorum quorundam effuſurus. Ibi cum viro Nobiliſſimo & præcipuæ dignitatis, Bernhardo *de Muralto*, Bernenſi tum Senatore, nunc Quæſtore meritiſſimo, & tum literarum, tum civilium artium peritiſſimo, amicitiam contraxit, & literarum commercio diligenter excoluit. Bada Tigurum redux ſub finem Maji, triſti nobis vale dicto, Neoburgum profectus eſt, ubi Sereniſſimus Elector tum commorabatur, & Fabritium poſt clementiſſimæ voluntatis teſtificationem denuo obteſtatus eſt, ut Heidelbergam, utpote ab hoſte, deſertam, publica negotia antiqua fide curaturus, quantocyùs redeat. Inde Ratisbonam movit, trahente illum affectu ardentiſſimo, quo, velut inclinante aſtro, in Pyladem ſuum, Sylveſtrum Iacobum de DANKELMAN, olim Collegam conjunctiſſimum, tum verò Sereniſſimi Electoris Brandenburgici ad Comitia Ratisbonenſia Legatum Illuſtrem, ferebatur, in cujus hoſpitio dulciſſimam octo dierum moram implevit. Ea occaſione apud Cæſareos Miniſtros, Marchionem Badenſem & Baronem de Seilern, alióſque in favorem Helvetiæ Reformatæ quoad præſentem belli ſtatum multa diſſeruit, quæ ad mitiora conſilia valuerunt. Sed & primùm tum Illuſtri VALKENIERIO, Præpotentum Fœderati Belgii Ordinum ad eadem Comitia Legato innotuit, & cum eodem amicitiam ſtabilem & Reipublicæ utilem connexuit. Sed Electoris mandato morem geſturus Heidelbergam properavit, ibique Iulio menſe cum ſuis feliciter appulit. Præcipua tum eum cura Oeconomiæ Eccleſiaſticæ ſic reſtituendæ, ut Paſtores & Ludimagiſtri qualibuscunque ſtipendiis, ad vitæ ſuſtentationem neceſſariis freti in ſtationibus ſuis perſiſterent, diſtrinxit. Nam Collegii Sapientiæ, aliorúmque ejusmodi Corporum priſtinum in ſtatum reſtituendorum ſpes nulla affulſerat, quandiu Galli partes trans-rhenanas inſidebant. Interea Academiæ Lugduno-Batavæ Curatores Fabritium ad exornandam in Academia ea Profeſſionem Theologicam, obitu viri Celeberrimi, Stephani *Le Moine*, vacantem ſplendidis conditio-

Per Neoburgum & Ratisbonam Heidelbergam à Gallis deſertam redit.

Curis pluribus diſtringitur.

Leidam vocatus ad Profeſſionem Theologicam obſe-

ditionibus oblatis ſolenniter vocârunt; & vocationi Illuſtris BEVERNINGIUS, nec non Clariſſimus Triglandius, tum Academiæ Rector, ſcriptis ad eum humaniſſimis literis, quibus, ut vocationem ratam haberet, inſtantiſſimè rogaverant, pondus addiderunt. Neque enim à rationibus Fabritii alienum putabant, ut præſentem afflictiſſimum ſtatum ſuum quietis cum ſedibus & otio literario, injuncto tolerabili admodum & jucundo labore, ſummóque in honoris faſtigio, commutaret, & ætatis ad ſenectutem præcipitantis tranquillitati conſuleret. Hæc, ſpecioſa licet, in animo tamen Fabritii efficacia non erant. Ratum enim illi fuit, non deſerere periclitantem Palatinatus cymbam, donec urgentior & Divina vis præſidio & ſtatione cedere juſſerit. Sic enim ille rationes ſubduxit, non deeſſe plures viros doctiſſimos, qui Profeſſionis Theologicæ ſpartam in Academia illa cum laude ſumma exornaturi ſint: at, qui Eccleſiæ Archipalatinæ, ex ſeptingentis, tum quidem, cœtibus & Scholis conflatæ cum fructu, & experientiæ uſúsque auxilio præſint, & Eccleſiaſticos reditus, ex quibus tot Paſtores & Ludimagiſtri difficillimis his temporibus vitam tolerare neceſſe hăbeant, procurent, oppidò paucos eſſe; eo cumprimis tempore, quo & Illuſtris Baro DE STEIN, Senatus Eccleſiaſtici Præſes, & ſummus Eccleſiæ Palatinæ patronus, Palatinatui valedixerat, & Miegius hoſtibus obſes datus, ancipite ejus liberatione, rebus dubiis ſuccurrere non poſſit. Omnibus proin utramque in partem poſitis calculis, ſe conſcientiæ ſtimulis ad perſeverandum hac rerum tempeſtate in ſtationis ſuæ, quantumvis moleſtiſſimæ, orbita adigi, palam profeſſus eſt. confiſus etiam, ab omnibus, quibus Eccleſiæ ſalus curæ cordíque eſt, conſtantiam ſuam probatum iri. Cæterùm Heidelbergæ denuo per excurſiones Gallorum ex vicino Philippi-burgæ munimento liberiores & infractas periculum imminere viſum eſt. Fabritius de diſcrimine certior redditus, ſedem ſuam Heidelberga Eberbachum tranſtulit. ubi podagræ tormentis vexatus, aliquandiu in grabato deſidens licet,

quinum negat.

Heidelberga Eberbachum, atque inde Francofurtum ſecedit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Eccleſiæ Palatinæ ſtatum conſiliis ſententiiſque ſuis moderatus eſt. Valetudine recuperata Francofurtum petiit, res ſuas diſſipatas in ordinem redacturus, & hiemem inſtantem, ob periculum Heidelbergæ impendens, ibidem traducturus. Non defuit tamen vel ſic Eccleſiæ Palatinæ, quam authoritate & conſilio ſuo etiam abſens rexit. Sed intervenerunt nova Præpotentium Fœderati Belgii Ordinum conſilia, quibus Fabritium, Sereniſſimi Angliæ Regis & Suo Nomine, in Helvetiam ablegare, ſimul Illuſtrem Ablegatum Thomam COXE, qui eodem tempore à Magnæ Britanniæ Rege in Helvetiam miſſus erat, ope & conſilio ſuo ſublevaturum; ſimul Fœderatorum commodis velificaturum, ſtatuerunt. Neque ingratum Helvetiis Fabritium fore augurabantur, eò quòd & Helvetius eſſet, & amicos in Helvetia multos potentéſque haberet, & fides atque candor ejus, non minùs patriæ ſuæ, quàm communi cauſæ addictiſſimi, nemini bono ſuſpectus eſſe poſſet. Accedebat exiſtimatio, in qua apud Sereniſſimum Angliæ Regem Fabritium ob eximiam prudentiam, & rerum etiam civilium peritiam, quam, CAROLO LUDOVICO Electore, longis magníſque experimentis probaverat, eſſe, Illuſtriſſimus Comes de SCREUSBURY, Sereniſſimo Regi à Secretis, literis ad eum datis, confirmaverat. Fabritius initiò tergiverſari, curarum ſuarum pro ſalute Eccleſiæ Archipalatinæ molem exaggerare, ſuam in rebus tanti momenti agitandis infirmitatem cauſſari, denique invidiam, quam homo ſacer, ſuſcipiendis alienis, & periculoſæ aleæ plenis negotiis ſibi conflaturus eſſet, deprecari. Verùm inſtantiſſimæ petitioni denique ceſſit, ea lege, ut brevis mora eſſet, qua exacta ſibi ad procurationem Eccleſiæ Palatinæ, quæ interea Miegio jam liberato imponi poſſit, reverti liceat. Politica equidem ſacrorum hominum conſilia plerunque inconſulta eſſe, atque eorum cauſa ingentes in Rebus-publicis editas eſſe ſæpenumero ſtrages, & veteres hiſtoriæ loquuntur, & omnis fere ætas probat. Præterquam enim quòd magna ingenia raró plus quàm in

A Præpot. Fœd. Belgii Ordinibus in Helvetiam, Fœderatorum res curaturus, mittitur.

Politicorum negotiorum cura quatenus Eccleſiaſticis committi poſſit, anquiritur.

uno opere eminuerunt, & tam non contemplatio ſpiritualis & adminiſtratio civilis inter ſe jungi feliciter poſſunt, quàm non opificiis, ſtudiis & artibus diverſis aliis una tractandis unius hominis induſtria ſufficit, adeò ut ſimul utrumque quis habere velit, ſimul utrumque perdat: etiam gravior & periculoſior utriuſque muneris conjunctio eſt, cùm ſacros homines peſſimum veri affectus judiciíque venenum, ſua cuique utilitas, corrumpit. Factio enim, reſpectúsque rerum privatarum ſemper offecére, officiéntque publicis conſiliis. uti Papalis Cleri dominantis, & ſe ſimul ac bona ſua Reipublicæ ſubtrahentis, peculiarémque quaſi Rempublicam facientis, exemplo liquet. Fatendum nihilominus eſt, Eccleſiaſticis nonnullis hominibus, πολυτρόπου, ſeu verſatilis ad omnia ingenii felicitate & capacitate, uſum & experientiam civilium rerum haud aſpernandam adeſſe. qua etiam in conſilium non irrumpentes, ſed fiducia ingenii & probitatis ab iis, qui ad clavum Reipublicæ ſedent, vocati, imò & juſſi, haud raro Reipublicæ feliciter conſuluerunt. Teſtis eſt Paulus Venetus, Servita Monachus, ſtupendi ingenii & judicii homo, cujus maximè ſapientia & virtute Venetorum res, difficillimis temporibus, ſteterunt, atque triumphârunt. Talis Fabritius erat, præditus ingenio ſubactiſſimo, vario & multiplice; atque inſuper φιλόπολις *amans Reipublicæ*, qualem ad conſilia de Republica danda præ cæteris admittendum eſſe, jam olim etiam Pericles apud Thucydidem cenſuit; quíque conſilia non venditavit, ſed ab iis, quos penes rerum ſumma eſt, juſſus & provocatus integerrima fide exprompſit. quem etiam à πολυπραγμοσύνης crimine tanti Regis, & tam ſapientis Reipublicæ vocatio, & de eodem judicium atque ſpes, quam neutiquam ille deſtituit, manifeſtè liberat. Ita

Fabritius talibus negotiis par fuit.

ille, publicis fidei literis ad Cantones Evangelicos datis in- 1690.
ſtructus, flexo per Neoburgum, Electoris, compellandi cauſa, itinere, Tiguri menſe Martio A. MDCXC. ſine pompa, & transmiſſis inanibus, feliciter appulit, & in contubernio Sereniſſimi M. Britanniæ Regis Ablegati, ut con-

Tigurum venit, & injunctas ſibi curas exequitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

junctiores invicem promptioréſque ad mutuum conſilium auxiliúmque eſſent, divertit. Negotiationis ejus ſeriem fuſiùs narrare, hujus loci non eſt. cùm ſecretior magnam partem fuerit. Id tamen aſſeverare licet, nunquam Fabritium operam navâſſe, ut patriam ſuam dulciſſimam ferali bello implicaret. cui id unum in mandatis ſecretioribus datum erat, ut, ſi qua liceret, ſavorem erga Fœderatorum hoſtes, quatenus fædere ipſo non obſtrictus erat, pro virili ſua minueret, ſuaderétque, ut mittendis ſuppetiis abſtinerent, & militiæ hoſtili jam auctoratos, ne quid adverſus fœderis tenorem committerent, cohiberent. Quem in finem Fæderum Helveticorum interiorem ſenſum diligentiſſimè indagavit, tantámque brevi eorum notitiam ſibi comparavit, ut eorundem genuina ſententia, ſcripto etiam ab eodem conſignata & communicata, legentibus admirationi fuerit. Cæteras etiam à Rege & Republica ſibi injunctas officii partes ſolita prudentia, moderatione & induſtria gnaviter implevit, id unicè ſatagens, ut & Helvetiæ, patriæ ſuæ, prodeſſet, & cauſæ, quam ex mandato egerat, ne deeſſet. Potior tamen & facilè princeps cura exequendorum, quæ ipſi circa Waldenſes tum in patriam reduces, tum extra patriam palabundos Sereniſſimo Sabaudiæ Duci non ſolùm conciliandos in ſolidum, ſed etiam miniſterio ejus poſt ruptam cum Gallis pacem devovendos, ſecretò commiſſa erant, eum exercuit. Conſilia enim ſua non tantùm cum Illuſtri Comite de GOVON, Ducis ad Helvetios Legato, tum per literas, tum oretenus etiam in mediis locis, in quibus ex condicto convenerant, miſcuit, ſed etiam per literas frequentes cum ipſo Sabaudiæ Duce, cujus facilè gratiam tum munus, quod gerebat, tum laudata Eidem à Govone ſingularis prudentia ipſi conciliaverat, communicavit. qui etiam crebris literis, arcaniora complexis, Fabritium dignatus eſt. Hæc præcipua cauſa erat itineris, quod menſe Majo, me diu renitente, ſed precibus ejus enixiſſimis victo, comite itineris, at non curarum, quas ipſi vocatio injunxerat, aſcito, Genevam uſque fecerat; Taurinum

Waldenſibus reſtituendis operam navat.

Genevam excurrit.

num etiam, quod Dux per Govonem expetierat, excurſurus, ſi per valetudinem adverſam, aliáque licuiſſet. Bernæ non tantùm cum Govone, qui ejus cauſa illuc venerat, ſed etiam cum primariis Reipublicæ Proceribus de Waldenſibus profugis reliquis in patriam reducendis, aliisque gravioris momenti, Ducem Sabaudiæ concernentibus, per aliquot dies contulit. Inde per Lauſannam, ubi ad veterem amicum ſuum *Polierium*, Theologiæ Profeſſorem eximium, inviſit, Genevam, nunquam hactenus ſibi viſam, iter promovit. Ibi negotia ſibi injuncta, circa cohortes inprimis Waldenſium & Gallorum profugorum, Duci Sabaudiæ militaturas, aliáque ſecretiora, quàm primùm confecit, & immenſum ſalutantium, comitérque colentium agmen admiſit, denique ab Eccleſiaſtici Ordinis viris celeberrimis, Tronchinis, Pictetis, Calandrinis, Turretinis, Legeris, aliisque ſtructo geniali & exquiſitiſſimæ comitatis convivio exceptus eſt; feſtinato diſceſſu per Neocomum Tigurum rediit. Iucundiſſima mihi recordatio itineris illius eſt. quo tempus, quod confectis Fabritii negotiis ſupererat, atque inprimis illud, quod in itinere una lectica vectis diffluxit, per colloquia amœniſſima & ſaluberrima de Eccleſiæ ſtatu, de literis, de libris, de ſtudiis reformandis, de diſſidiis per ſpiritum manſuetudinis componendis, de Syſtematum Theologiæ defectibus per Syſtema novum, amputatis philoſophematis non neceſſariis, & logomachiis, ad amuſſim ſolius Scripturæ, & per phraſes Spiritus S. ſelectiores, componendum (quam provinciam à me ſuſcipi multas ob cauſas, nec ſine obteſtatione, optaverat) ſarciendis, aliisque ejuſmodi ducebamus. Reliquum à colloquiis talibus tempus hymnorum ſacrorum cantu agebatur. Mirè enim illum cantus hymnorum per totam vitam delectabat, ſuaviter, ſcienter & devotè canere doctum ſuetúmq;, neq; ſemel ſpiritualem lætitiam, & ſolatium, quod ex eo percipiat, teſtatum. Atque eò etiam gratior itineris illius ſocietas mihi extitit, quò minus Tiguri tot inter curas & turbas diſtrahentium otii ad converſandum cum amico antiquiſſimo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Tigurum revertitur.

ſuppetiit. Tigurum redux, Haga Comitum ex Illuſtri J. B. WASSENAER OPDAM literas recepit, quibus ille, quantopere Ordines Generales in ſucceſſu negotii, quod cum Sabaudo Fabritius agitaverat, exultent, expreſſit, addens, ſe decurſu viginti trium annorum, quo Illuſtriſſimi Conſeſſus Ordinum pars fuerit, nunquam in eo lætiores in univerſum animos & vultus notâſſe, quàm cùm Fabricii literæ de Ducis Sabaudiæ voluntate teſtata perlectæ fuerunt. Quæ cauſa fuit, quòd iidem Ordines Fabritio ſine mora negotium paciſcendi cum Duce Sabaudiæ per Comitem Govonem dederunt; ſcriptis etiam ad Ducem Sabaudiæ literis, quibus ſe Fœdus cum ipſo Nomine ſuo percutiendi poteſtatem plenam Fabritio contuliſſe, ſignificârunt. Res brevi tempore ſtupendum ſucceſſum habuit; & confecta feliciter omnia ſunt ad ratificationem ſolennem uſque, quæ Hagæ Comitum Sabaudi Legatum inter Præſidem Turrenſem, & Fœderatos, Britanniæ inprimis Regem, & Hollandos concluſa eſt. Quanti res hæc momenti fuerit, commemorare nihil attinet, & rerum civilium periti omnes nôrunt. Confecto feliciter negotio, & Britannico Ablegato, Thoma *Coxe* Tiguro Bernam jam digreſſo, Fabritius miſſionem inſtanter petiit, & eadem impetrata die 11. Auguſti ultimo triſtiſſimóque vale nobis renuntiato, Heidelbergam reverſus eſt. Ubi miſerabilis Eccleſiæ, quam reperit, facies vehementer ipſum terruit. Nam trans Rhenum cuncta Gallis parebant; cis Rhenum incendiis & graſſationibus omnia ita vaſtata erant, ut Academia & Oeconomia Eccleſiaſtica ſpe omni proventus deſtitueretur, neque appareret ratio, qua Eccleſiæ & Scholæ Heidelbergenſis miniſtri, ne de Academiæ Profeſſoribus dicam, ſuſtentari poſſent. Et periculum erat, ne Paſtoribus & Ludimagiſtris urbem deſerere coactis, ilico vacuas ſedes harpyæ inſidiantes invaderent. Summa ergo contentione id Fabritius egit, ut civitatis Paſtoribus & Seminariis proſpiceretur, & in agro utroq; , cis- & trans-rhenano pluribus cœtibus uni paſtori ſubjectis, vitam utcunque tolerarent, donec ſereniora

Cum Duce Sabaudiæ, mediante ejus Legato Govone, Ordinum juſſu, paciſcitur.

Miſſione ab Ordinibus impetrata Heidelbergam redit, & pœne collapſum Eccleſiæ Palatinæ ſtatum acerbè deplorat.

tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

tempora affulgerent. Sed ſumptus ad id neceſſarios acquirere, hoc opus, hic labor erat. Nam & ipſi Palatini bonam copiam ejerabant; & belli, quo Fœderati Reformatæ religioni addicti premebantur, moles nullam ſpei facem accenſura videbatur; & cuncta fere remedia, quæ tentabanbantur, irrita fuerunt. Grave ſibi eſſe in perdita ſic vigilia excubare, & vafros inſidiatores, ne vacua in aula dominentur, depellere, Fabritius querebatur. Accedebat Sereniſſimi Electoris PHILIPPI GUILHELMI, quo clementiſſimo Fabritius utebatur, fatum, quo circa id tempus Viennæ fungebatur. communi luctu omnium, quibus Principis nativa bonitas nota erat. Dolorem & anxietatem etiam Collegæ conjunctiſſimi, Friderici Miegii, Groningam avocati, improviſus diſceſſus auxit. Ita Fabritius, uno ſenecione optimo Salmutho, ſed cui ſenectus ipſa morbus erat, ſtipatus, proximam caſui Eccleſiam Palatinam, poſt Deum, conſilio præſente, & corrogato undique auxilio ſuſtentatam, temporibus melioribus, mira, rebus maximè dubiis, felicitate, ſervavit. ipſe ſtipendii omnis exſors, aliquot jam annos ſumptibus propriis, & priſca frugalitate vitam tolerans. Mox etiam ſuperſtitis unici ex fratre 1691.
nepotis, Iohannis Danielis Fabritii, quo ſolo germine propagandæ Fabritii proſapiæ ſpes nitebatur, mors in cumulum calamitatum Fabritii venit. Erat ille ſex jam annos Viennæ Principi Salmenſi à Secretioribus literis. Viſendi patrui deſiderio flagrans, bona cum Principis venia Heidelbergam conceſſerat. Quarto adventus die morbo dyſenteriæ correptus, ardente febri accedente, ſupremum diem, teſtata ingente erga Soſpitatorem fiducia, clauſit. Erat tamen dolori Fabritii non mediocre ſolatium, quòd mirabiliter Deus providit, ut iter illud, nulla occaſione invitante, & cogitante nemine, ingreſſus eo in loco morbum contraheret, quo & neceſſarii atque amici ægrotantem conſolationum fomentis ſublevare potuerunt, & ipſi plena conſcientiæ libertate uſo, nemine obſtrepente, mortem oppetere licuit. Ingraveſcebant interim Eccleſiæ Palatinæ ca- 1692.
lami-

Nepotis ex fratre Joh. Danielis Fabritii jacturam patitur.

Ingraveſcentibus Palatinatus malis Fabritius ad exterorum, Helvetiorum inprimis, auxiliaria ſubſidia ſe convertit.

mitates, deficientibus uſque quaque remediis ſuſtentandis paſtoribus & ludimagiſtris neceſſariis; & jam metus inceſſerat, ne Seminaria eodem defectu laborantia propediem peſſum irent. Neceſſitas igitur, cujus ſumma ratio eſt, Fabricium adhoc conſilium impulit, ut, me etiam conſultore, peregrina auxilia circumſpectaret. Nec irritum conſilium fuit, quando ei Palatinæ Eccleſiæ, in extremo crepidine ſtantis, deploratam conditionem efficacibus tum ad Fœderatos Reformatos plures, tum inprimis ad Proteſtantes Helvetiæ Cantones literis datis, deſcribenti benignæ aures præbitæ ſunt. Non defuerunt enim ei, in Helvetia cumprimis, in qua nondum à prima illa decantatiſſima charitate diſceſſio facta eſt, patroni & amici; & Tiguri quidem cumprimis Reipublicæ Conſul Graviſſimus HENRICUS ESCHERUS, cui beneficentiæ palma debetur, & Eccleſiæ Antiſtes venerabilis, ANTONIUS KLINGLERUS, quorum opera viſcera miſerationum ſic aperta & dilatata ſunt, ut inde ab A. MDCXCII. ad præſens uſque tempus, quotannis ab utroque ordine, Politico & Eccleſiaſtico, ſuſtentandis primùm Seminariis, atque his diſſipatis, Paſtoribus & Ludimagiſtris non pœnitenda, pro ratione ærarii, ſumptuum collatio, ſumma cum προθυμίᾳ facta ſit. Et veluti incitata ſemel charitas ſtare neſcit; atque etiam Sol quotidie relucet: ita ſpes plena eſt, fore, ut ex fonte illo benigniſſimo rivuli ad Eccleſiam Palatinam conſervandam decurrere non deſinant, donec ad melioris ſpei portum deventum fuerit. Eſt enim ita comparatum, ut antiquiora beneficia ſubvertantur, niſi novis cumulentur. Et pietatis noſtræ remedio ſurgere debent, qui fortunæ ſuæ acerbitate corruerunt; deniq; theſaurum ſuum in Cœlo condit, qui Chriſtum in membris, iis maximè, qui animas paſcendo à curis aliis omnibus abſtrahi debent, curat.

In Belgium proficiſcitur.

Ejuſdem anni menſe Iunio Fabritius cum familia in Belgium, privatarum rerum componendarum cauſa, profectus eſt; ubi aliquot dierum mora Lugduni Batavorum in contubernio Celeber. Theologi, Friderici SPANHEMII, Affinis conjun-

ctiſ-

ctiſſimi; nec non Hagæ Comitum, Amſtelodami, Ultraje-cti traducta, & diſpoſitis rebus ſuis, properè per Duſſeldorpium, ubi Sereniſſimo Electori Palatino humilima obſequia ſua teſtatus, Palatinatus faciem repræſentavit, Heidelbergam rediit. Ibi denuo ipſi non tantùm adverſus apertos hoſtes, Eccleſiæ libertatem inſidioſis & violentis molíminibus appetentes, ſed etiam contra clandeſtinos, qui, Sirenum inſtar, dulce canentes, ejus navigationem ſpecioſa pacis & concordiæ oſtentatione non tam ſinuare, quàm perdere laborârunt, certandum fuit. Nam denuo Tinenſis, creatus jam propter irenici ſtudii technas & merita Vienna-Neoſtadienſis Epiſcopus, ad Fabritium ſcripſit, eúmque auctoritate Cæſaris Viennam, pacis religioſæ componendæ cauſa, invitavit. addens, ſecretioribus conſiliis præſentiam exigentibus opus eſſe, & plurimum intereſſe Hungarorum Proteſtantium, ut invitationi pareat, qui & ipſi id vehementer deſiderent, & in compoſitione tali quietis & ſecuritatis ſuæ futuræ palladium collocent. *Novendecim*, ita Tinenſis, *Hungariæ Proteſtantium utriuſque Confeſſionis communitates ejuſdem operis* (concordiæ) *poſſibilitatem, extremámque neceſſitatem apprehendentes, mihi ipſi ſuper hac æſtate elapſa perſonaliter cum illis agenti ſeſe ad illud ſub hac conditione paratos ſcripto declararûnt; ſi nimirum ex Germania aliquot ex præcipuis Confeſſionis ſuæ Theologis ipſis adducantur, qui illos circa ſupra tactas explicationes conformiter ad verbum Dei fundamentaliter informent.* Fabritius reſponſum die XVI. Feb. adornavit, quo laudato Tinenſis, controverſias componere & minuere, non exaſperare, uti præ ſe ferebat, laborantis, ſtudio, pungendo quaſi modernos Eccleſiæ hoſtes, graviter admonuit, in Chriſti Eccleſia pacem pacificè parandam eſſe. *Non*, inquit ille, *terrificas comminationes, non ſuppliciorum formidinem, non carcerum ſqualorem, non Bonorum, ſive illa Eccleſiaſtica, ſive Secularia vocentur, direptionem, non ex legitimis poſſeſſionibus ejectionem, non datæ fidei, ipſiúsque adeò juris naturalis violationem, non fundamentorum civilis ſocietatis & ſecuritatis conquaſſationem aut everſionem, denique*

Heidelbergam redux denuo à Tinenſi Epiſcopo turbatur.

Methodus Fabritii cum Tinenſi Epiſcopo agentis.

nec arbitraria contra publicas leges ex privata libidine peragenda judicia mitiſſimus ac dulciſſimus noſter Jeſus præſcripſit; ſed in docente requirit Spiritus ac veritatis demonſtrationem ad cujusvis conſcientiam, in audiente verò modeſtam ac ſtudioſam docilitatem, & pacatæ mentis attentionem; in utroque non hominum, ſed Dei timorem, qui ſapientiæ principium eſt. Ex his principiis, & hac via ſi quid ad concordiam in Chriſtiana religione ſtabiliendam à ſe proficiſci poſſit, id omne ſe libente animo impenſurum ſpondebat. Sed ut negotium iſtuc ſecretè & non palam, ac remoto velo tractetur, id verò ſibi conſultum non videri, varias, quas allegebat, ob cauſas, apertè profitebatur. Sed & iter iſtud Viennam uſque, quod Tinenſis urgebat, à ſe ſuſcipi, propter crebram invaletudinem, & ſubitò ingruentes arthritidis cum ardente febri plerunque conjunctos paroxyſmos, poſſe negabat. Neque etiam præſentem voce ſua plus, quàm abſentem ſcripto effecturum ominabatur. Denique multò minùs ſibi conſultum, vel ad ſcopum obtinendum conducibile videri ajebat, ut Tinenſis, quod promittere videbatur, Heidelbergam veniat. Suſpicionem enim palam ſic oborituram, quaſi non de ſolis Hungaris, ſed etiam Palatinis ad res novas inducendis ageretur. Ad literas Fabritii Tinenſis die XVII. Martii reſpondit, eadem oberrans chorda. Nam & Fabritio Viennam iter faciendum, & remotis arbitris negotium tractandum eſſe, pertendit. Paulò poſt etiam copiam literarum Cæſaris ad Electorem Palatinum, quibus ut Fabritio iter injungeretur, petiit, transmiſit. Tinenſi die IV. Maji Fabritius reſpondit, & immotum animi ſui propoſitum, nec proficiſcendi Viennam, nec ſecretò quicquam conferendi confirmavit. Nam quod omnium intereſt, inquiebat ille, ab omnibus curari debet. Neque ſe videre ajebat, quid ſeparatim extortæ hinc inde Theologorum privatæ & clandeſtinæ declarationes profuturæ ſint. Sive enim cum aliorum ſententiis conſentirent, quid obſtare, quò minùs communicato cùm aliis conſentientibus conſilio expromantur? Sive adverſarentur, nullum ſperari poſ-

Cæſaris ad Electorem Palatinum de mittendo Viennam Fabritio literæ. qui Viennam ire detrectat.

ſe

ſe fructum, niſi quòd nova inde oritura ſint ſchiſmata, & ex diſſentientibus privatis ſcriptionibus clanculum collectis, conſenſus publicus efformetur, à quo diſſentientes, tanquam rebelles & contumaces, à publica religionis pace, ejuſque privilegiis arceantur. Hoc ſcilicet arcanum illud erat, quod Tinenſis in literis ad Fabritium verbis mollioribus non diſſimulavit. Addebat, mirari ſe vehementer, tantam in re tanti momenti fiduciam in ſe collocari, cùm alii in communibus muneris ſui functionibus eam, quam nemo antehac in dubium vocaverat, fidem ſibi detrahant, & quam jam tringinta & ampliùs annos quietè tenuerit & ornaverit, ſtationem, contra Sereniſſimi Domini ſui mentem, ejuſque & Glorioſiſſimorum Anteceſſorum publicatas conſtitutiones turbent, imò quantum in ipſis eſt, evertant, quæ ϛηλιτευτικὰ ſic ſatis erant. Tinenſis irritam omnino ſpem Fabricii Viennam pertrahendi cùm vidiſſet, temperare ſibi, vergens jam annis licet, non potuit, quin Heidelbergam iter adfectaret, atque ibi clam cum Fabritio transigere inſtitueret. Ibi diluere Fabritii axioma, *curari ab omnibus debere, quod omnium intereſt*, conatus eſt, ficulnea exceptione uſus, quòd illi, qui Confeſſionem Auguſtanam introduxerunt, non omnium conſenſum expectaverint, ſed primùm per privatas literas, & theſes uno loco ſervatas paulatim partes ſibi fecerint, neque lentum adeò, & incertum omnium conſenſum expectandum duxerint. Quem prætextum jam ante, CAROLO Electore, Fabritius verbis Tinenſis ipſius diluit. Ajebat enim Tinenſis, tres vel quatuor Electores & Principes, Confeſſioni Auguſtanæ nomen primitus dantes, reliquorum conſenſum non expectâſſe. Hæc, inquiebat Fabritius, tacita Tinenſis confeſſio eſt, quòd nemo unus Princeps ſeorſim Confeſſioni Auguſtanæ ſubſcripſerit. At Tinenſis clancularias & ſeparatas Confeſſioni à ſe adornatæ ſubſcriptiones & ſuffragationes extorquere conatur. Obfirmatum ſic & inconcuſſum, fraudibúſque impenetrabilem Fabritii animum cùm repeRiſſet Tinenſis, re infecta diſceſſit. Sed jam noviſſima Heidelber-

Arcana conſilia Tinenſis.

Tinenſis Heidelbergam venit, & re infecta diſcedit.

Urbis Heidelbergenſis horrendum excidium.

gæ antiquiſſimæ fata imminebant. Galli enim ſive viribus ſuis confiſi, ſive conſpirantes cum Hedersdorfio, arcis præfecto, ſaltem imbellem Therſitis illius animum, & inexpertum belli laborem, propoſito ſuo opportunum haud fallacibus notis animadvertentes, nondum confirmatis in vicinia Fœderatorum copiis, numeroſo ex præſidiis vicinis exercitu conflato, & furiali face armato, Heidelbergam ſubitò aggreſſi, brevi præter omnium opinionem, à ſuperſtitioſo & ſacrificulis obnoxio illo Hedersdorfio fœdiſſimè & flagitioſiſſimè deſertam, occupârunt, diripuerunt, facibus ſubditis incenderunt, & ſæviſſimè, militari quippe & ſoluta licentia, tum in Templa, palatia, domicilia publica & privata, monumenta & cadavera Principalia, tum in cives promiſcuè omnes, ad nuditatem uſque ſpoliatos & ludibrio habitos, ſexus inprimis muliebris pudicitiam, conſuluerunt. Nulla facies mali deerat; & eò uſque odia ſæviebant, & faces jaciebantur, donec deeſſent, quæ diriperentur, horribiliter vexarentur, & incenderentur. Diriſſimam tempeſtatem Fabritius è ſpecula veluti proſpexerat, qui etiam velut Divinitus inſpiratum ſe fuiſſe ad me ſcripſit, ut Archivum Eccleſiaſticum & Academicum, Heidelbergenſibus penetralibus jam ante ſubductum, maturè ſatis tutiora in loca traduceret. Ille ergo & Academiæ, & omnium univerſi Palatinatus Eccleſiarum Archiva, quibus cuncta earum documenta, Fundationum, Iurium, Privilegiorum & redituum diplomata originalia continebantur, maturè, Dei ſingulari gratia, ex præſentiſſimo interitus periculo, propriis etiam ſumptibus ſuis, neque alia, uti ad me ſcripſerat, mercede, quàm conſolationis illius, quòd documentis iis integris & ſalvis, longè difficilius hoſtibus futurum ſit, Academiam & Eccleſiam Palatinam ſubvertere; eripuit. Nulla tam ſurda erit poſteritas, nulla tam ingrata fama, quæ incomparabile iſthoc beneficium à Fabritio Academiæ & Eccleſiæ Palatinæ promptè adeò vigilantérque navatum non in Cœlum evehat, non inter inſignium facinorum ejus decora primore loco ponat; non admiretur,

Fabritius prævïſo illo Eberbachum, atque inde Francofurtum ſeccdens, Archivum Palatinum Eccleſiaſticum & Academicum in loca tutiora transfert.

quòd

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

quòd ſic publicas utilitates longè ante privatas ſuas habuit. Nam ipſe quidem die VIII. Maji cum familia, relicta Heidelberga, in vicinum oppidum Eberbachum ſeceſſit, poſtero die rediturus Heidelbergã, ut pari felicitate ſuppellectilia ſua pretioſiſſima, Bibliothecam inprimis, quam inſtructiſſimam longè habuit, ſaltem potiorem, & manu ſua ſcripta tutiora in loca traduceret. Sed feſellit illum opinio & ſpes excidii non adeò propinqui, ſaltem urbis non ſine conditione dedendæ. uti quidem perfidia Hedersdorfii mox factum comperit. Sic Fabritius ipſe una cum familia, ceu titio, ex incendio ereptus eſt; ſed, exceptis duabus ciſtis, quibus cariſſima, & ad uſum quotidianum neceſſaria includebantur, reliqua ejus omnia, etiam manu ejus ſcripta tot cimelia, commune excidium, incendium & rapina involvit rapuitque. Tum ille ad me: *Juſte Deus, ad quæ tempora miſerum me reſervâſti! Sed gratias infinitas bonitati ejus perſolvo, quòd clementer adeò me meósque ex communis incendii & excidii calamitate, atque faucibus hoſtium liberavit. Jacturam feci omnium recularum mearum, exceptis iis, quæ duabus capſis incluſa maturè ſubduxi. Euge! Deus dedit, Deus abſtulit; ſit nomen ejus benedictum!* Perinde ille ſe gerebat, ac ſi tanta rerum propriarum jactura digna non eſſet, ob quam frontem contraheret. Tantum inveterata ejus virtus, magnitudo animi, non ſuccumbentis adverſis, ſed ſibi conſtantis ſemper, & patientia valuit. Publica mala intolerabiliùs longè, & vix ſanabili dolore lugebat, cùm concatenari illa & augeri quotidie cerneret. Admiſit tamen amicorum, communem malorum ejus privatorum & publicorum ſenſum teſtantium, ſolatia, quibus ſe ex ægritudine ad firmitudinem animi revocari ſenſerat. Inciderat mihi ſanctiſſimi ſenis, publicas calamitates acerbè deplorantis, conſolatio, qua ſe ipſum firmaverat; *Tria*, inquiens, *me conſolantur, ſenectus, orbitas & ſpes approximantis melioris vitæ.* Quæ verba inter plura alia Fabritio à me applicata, ipſemet ad conſolationem ſuam nonnihil valuiſſe teſtatus eſt. Mox verò Fabritius Eberbacho per aſpera ſylvæ Ottonicæ Miltenburgum ad Mœnum

Liberatus ex incendio, rerum ſuarum jacturam pulchrè fert.

Conſolationes admittit.

Ex Haſſia Francofurtum redux,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

velut vexillum ibi extollit, & malis innumeris pœne opprimitur.

num, atque inde ſecundo fluvio Francofurtum aufugit, ubi Archiva præſentiſſimo periculo expoſita tutiora in loca, non ſine gravi impenſa & moleſtia, devehi curavit, & amicis vicinis religiosè cuſtodienda ſolenniter tradidit. Rebus hoc pacto quodammodo firmatis, reditum Francofurtum deproperavit, ut in ipſis Palatinus finibus Senatum Eccleſiaſticum recolligeret, & ſignum veluti extolleret, ne vel Reformati metuerent, vel inimici gloriarentur, exciſa Heidelberga rem eccleſiaſticam ſimul omnem funditus periiſſe. Sed Francofurti tot miſerorum hominum ſingulis momentis ad ipſum confluentium, & opem atque conſilium ejus efflagitantium, tot querelis de Monachorum, Templa & Bona Eccleſiaſtica Evangelicorum occupantium ac diripientium furore, ad ipſum delatis, & ad Sereniſſimum Electorem porrò deferendis, tot privatis etiam adverſitatibus, &, quod graviſſimum erat, valetudinis imbecillitate conflictabatur, ut omnibus hiſce perferendis vix parem ſe ſentiret, & tantùm non ad tranquilliorem aliquem, & à lugubribus iſtiuſmodi tum auditionibus, tum ſpectaculis, tum conſolantium etiam interpellationibus remotiorem locum, ad breve tempus ſecedere conſtituerit. Sed abire, & Palatinas Eccleſias in miſerabili illo ſtatu deſerere, religionem & officii ſui rationem vetare ajebat, nec Dankelmanno, Pyladi ſuo, ſuadenti & urgenti, ad ſe ut cum familia ſua veniat, ſuóque hoſpitio utatur; nec mihi precum ſumma contentione connixo, ut Tigurum reliqui exilii ſui ſedem deligere dignetur, vacivas aures præbens. *Animus eſt*, ſic ille ad me, *perdurare, &, quod vitæ reliquum eſt, ſi qua fieri poſſit, Palatinæ rei Eccleſiaſticæ & Academicæ, quantumvis fere deploratæ, eò impendere, ut ſaltem non abſque defenſore in Monachorum poteſtatem cadat.* Sed turbârunt tamen, imò quaſsârunt animum ejus graviſſimè non tantùm Cleri quotidiana molimina, implorata & adhibita ſubinde Gallorum opera, Templa Reformatorum rapientium, reditus involantium, paſtores abigentium, ſimultaneum, uti vocabant, religionis exercitium in templa

Eccleſias Palatinas in tanto diſcrimine deſerere non vult.

Cleri Romani moliminibus, curiſque aliis vehementer angitur,

Evan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Evangelicorum introducere laborantium, aliáque ejuſmodi; nec non Senatus Eccleſiaſtici & Oeconomiæ, à quibus exercitii religionis vigor & incolumitas omnis pendebat, conſervandi ſumma anxietas: ſed etiam exterorum, Evangelicos Palatinos omnes ad tutiores ſedes quærendas pellicientium, conſilia. quæ religioni per totum Palatinatum abolendæ erant. Erat tamen ille animi ſemper maximis etiam difficultatibus obluctantis, Deóque & fatis viam inventuris confidentis. Acceſſit fidi Achatis Caroli Conradi *Achenbachii*, Viri clariſſimi, Fabritio dati, & ab Electore
confirmati Collegæ opera, cujus conſilio & ope non parum 1694.
Fabritius, crebra cum invaletudine luctatus, ſe ſuſtentari faſſus eſt. Neque parum etiam exhilaratus eſt lætiſſimo nuntio, quo confirmabatur, Sereniſſimum Electorem Palatinum, Brandenburgici frequente atque efficaci interceſſione motum, palam declarâſſe, quòd Cleri infractiones ſe inſcio & invito contigerint, quódque, quantum in viribus ſuis ſitum erit, operam ſeriò daturus ſit, ut omnis iſthæc violentia cleri cohibeatur. quem etiam in finem tum literas ad Superiores cleri turbatoris dedit; quibus, ut vim omnem inhibeant, rogavit: tum interdictum ſolenne per omnes ditiones ſuas, quo violentiam & novandi pruritum graviter prohibuit, promulgari curavit. qui poſt tot nubila quidam velut Phœbus Fabritio viſus eſt. quanquam, uti nunquam fortuna ſimpliciter indulget, clerus exterus turbidus, & Gallorum ope ſuccinctus, novare pro viribus non deſiit.

Declaratione Electoris Palatini benigna recreatur.

Spargere jam etiam hoſtes Eccleſiæ, exterorum liberalitatem ſufflaminaturi, cœperant, Eccleſiam Palatinam eſſe Ens rationis; Senatum Eccleſiaſticum ſolum laborare, ut hominibus perſuadeant, quòd ens reale adhuc ſit. Fabritius calumniam convicturus, Catalogum Paſtorum ac Ludimoderatorum, qui curæ & fidei Senatus Eccleſiaſtici commendati, muneribus ſuis publicis etiamnum conſtanter defungebantur, typis deſcribi curavit, & exempla ejus aliquot Tigurum etiam miſit, inter Evergetas Helvetios diſtribuenda, quò iis luculentiùs de fraternæ

Eccleſiam Palatinam non eſſe Ens rationis, Evergetis ejus demonſtrat,

charitatis ſuæ fructu conſtaret. Facile enim eſſe colligere Fabritius & Achenbachius ad nos ſcripſerant, in tam latè patenti, támque diuturna univerſi Palatinatus vaſtitate, & undique ingruente, atque indies ingraveſcente calamitate, tot Eccleſias & Scholas conſervari nullo modo potuiſſe, niſi exterorum, Helvetiorum inprimis fratrum, auxiliis ſuſtentatæ fuiſſent; quæ auxilia ſi ante reſtitutam pacem deficiant, tantùm non de Palatinæ Eccleſiæ qualicunque incolumitate deſperandum, aſſeverârunt; eo cum primis tempore, quo novus Eccleſiæ ei peſſundandæ aries admotus fuit à Gallis, qui hoc anno à Paſtoribus & Ludimagiſtris trans-rhenanis tributa ſolutu impoſſibilia, militari licentia exigenda, indixerant. Nam inde eventurum metuebant, ne Paſtores & Ludimagiſtri tranrhenani vel fuga ſibi conſulerent, vel in nervum raperentur; atque ita Eccleſiæ & Scholæ raptoribus paterent. Paulò poſt Fabritius Emſam, balneo uſurus, & ſimul amiciſſimum ſibi, & à longo tempore intima familiaritate conjunctiſſimum caput, Sylveſtrum Iacobum *de Dankelmann*, tum Conſiſtorii Berolinenſis Præſidem, & Sereniſſimo Electori à Conſiliis intimis, qui gravi invaletudine, quam ex apoplexia recente patiebatur, afflictus eodem tempore illuc venerat, viſurus, conceſſerat. Totum ſe in amaras lachrymas ſolutum mihi teſtabatur, quando dulciſſimum amicum, morbo truci diróque pallentem adeò & corruptum oculis primùm uſurpavit. Viſus quidem ille erat uſu balnei cum valetudine in gratiam quodammodo rediiſſe, adeò ut comitari Fabritium ad navim uſque, ubi noviſſimum triſtiſſimúmque invicem vale dicebant; quin & iter Lingam uſque, ubi apud dilectam ſororem quiete & valetudine firmiore fruens, aliquandiu commorabatur, atque inde Berolinum minori longè cum difficultate perficere integrum fuerit. Sed valetudo minùs durabilis & fida ei conſtitit. Languebat enim deinceps, donec die v. Aug. MDCXCV. Berolini mortalitatem implevit, non parùm ab ipſo Electore Sereniſſimo, apud quem ſumma gratia & pari authoritate, ob

Emſam balneo utendi, & amiciſſimum ſibi Sylveſtrum Jacobum de Dankelman viſendi gratia, proficiſcitur.

ob judicii ſingularis maturitatem & fidei integritatem,
valebat; à Fratribus inprimis eximiæ amplitudinis, & prægnantium meritorum; denique amicis, Fabricio maximè
& me, quo cum ultra triginta annos amicitiam arctam,
conſtantiſſimè retentam, Collega primùm in Gymnaſio
Steinfurtenſi ſuaviſſimus, ſingulari fide excoluit; & bonis
omnibus, deploratus. Sequentem annum Fabritius con- *Ejus conti-*
tinua fere invaletudine, animi ob Eccleſiæ Palatinæ ſtatum *nua invale-*
afflictiſſimum mœrore & anxietate, & curis pro eadem per- *tudo.*
vigilibus, inquietis & ambiguis conſumpſit. Et jam noviſ- 1695.
ſima prodromis hiſce provocata inſtabant. De quibus pri-
ùs quàm dicam, in locum hunc ſtudio prorogata nonnulla
exequar. Virtutem Fabritii, ejus candorem in officio obe- *Doctrina &*
undo, indefeſſam aſſiduitatem, vigilantiam, conſtantem *virtute ſua*
propoſiti tenorem, pro Eccleſia, Schola, Republica curas *plurimos ſi-*
perennes, in ſecundis humilitatem, modeſtiam, modera- *bi amicos*
tionem incredibilem, in adverſis patientiam & conſtan- *conciliavit.*
tiam adamantinam, eruditionem admirabilem, ingenium
judiciúmque politiſſimum, morum omnium ſuavitatem,
aliáque ejusmodi plurima ornamenta narrationis de vita
ejus ſeries manifeſtè propalat. His ad perfectam maturi-
tatem provectis ſplendorem adjecit, quaſi bractea gemmæ
ſuppoſita, ſincera in Deum pietas, & τῆς φύσεως ἐυγένεια καὶ
λαμπρότης; eæque non ſummo ſparſæ, ſed altè infixæ, ple-
niùs reſpondentes iis, qui eum penitiùs noverant. Cuncta
hæc ei amicos & æſtimatores virtutum talium ſummos,
nec paucos conciliârunt, qui cum eo amicitiam conteſſe-
rare, eámque vel converſatione, vel commercio literario,
vel utroque ſanctè excolere & fovere ſummis in curis de-
liciiſque habuerunt. Vix ullus Europæ, qui quidem vir-
tuti & eruditioni pretium ſtatuat, angulus eſt, cui non Fa-
britius per eruditionem, virtutem & merita innotuerit.
Suis ille Germanis venerabilis, Gallis acceptus, Britannis
pretioſus, Belgis admirandus, inclytus omnibus fuit. Qui
circa religionem in partes diſtrahuntur, in ſuſpiciendo Fa-
britio conſpirabant. Multi rebus dubiis, velut ſacrum ora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Amici ejus interioris admiſſionis.

lum, conſulebant. Habuit tamen ille amicos quoſdam, quibuſcum oretenus converſatus eſt, interioris admiſſionis,& quorum in amicitia cumprimis exultavit,ſine reconciliatione ulla. Talium in albo, ut ordinem temporum cuſtodiam, Heidelbergæ Viri Clariſſimi & Celeberrimi, integerrimique,SebaſtianusRamſpekius,Salmuthus,Samuel Puffendorfius, Carreus, Fridericus Miegius, ac præ cæteris Sylveſter Iacobus Dankelmannus ille, quo de jam non ſemel diximus, fuerunt. Quibus adere licet Illuſtrem Baronem, Fridericum de Stein, Senatus Eccleſiaſtici Præſidem,& Electorum aliquot Palatinorum Conſiliarium intimum, cui plurimùm confidebat; & ad quem hiſtoriam hanc dirigo. Francofurti ad Mœnum, ubi per intervalla, velut in diverſorio quodam, Fabritius habitavit, & diem clauſit, ſumma ipſi neceſſitudo interceſſit cum illo literaturæ Æthiopicæ Phœnice, & priſca virtute, meritisque in Rempublicam Chriſtianam, & literariam omnem graviſſimis prælustri herore, Iobo Ludolfo, Auguſti & variorum S.R.I.Principum conſiliario fideliſſimo optimóque, cujus converſatione nil ſibi jucundius, gratius & utilius nihil eſſe, haud ſemel mihi confirmavit. Inter hæc neque epiſtolarum commercium cum omnibus, quotquot ejus provectioris,& fama jam celebrioris ætate bonarum artium, ſacrarum inprimis, vel profectu, vel cupiditate enituerunt, exercere pigratus eſt.Dolendum tamen magnopere eſt,literarum ad ipſum datarum κειμήλια pluraHeidelbergæ ruinis implicita,& una cum iis notitiam exactiorem eorum,quibuscum commercium iſthoc Fabritio interceſſit, periiſſe. Neque pauci tamen,& maximi nominis noti adhuc ſunt, quibuſcum literaria conſuetudine uſus eſt. E quibus, ut aliquos nominem,fuere in *Gallia* Iohannes Dallæus, Carolus Drelincurtius, Meſtrezatius, Samuel Bochartus, Blancius,Palmerius Grentemenilæus, Tanaquillus Faber, Le Coq:In *Anglia* Illuſtriſſimi Comites, Carolus de Bertie, filius Comitis de Lindſey, Comes Schreusbury, Thomas Coxe; & qui ei à ſecretioribus epiſtolis erat,Boherellus,nec non

Commercium ejus literarium;

Cum Gallis;

Cum Anglis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

non Hornekius, Sereniſſimis Regibus, CAROLO II. & GULILMO III. à concionibus ſacris : in *Belgica* Ill. Guilhelmus ab Harem, Philippus van Heiring, Affinis, Giſbertus Voëtius, Abrahamus Heidanus, Iohannes Coccejus, Iohannes Amos Comenius, Fridericus Spanhemius Affinis, Franciſcus Burmannus, Samuel Mareſius, Georgius Grævius, Nicolaus Heinſius, Iſacus Voſſius, Iacobus Altingius, Chriſtophorus Wittichius, Stephanus le Moine, Iohannes Braunius, Hermannus Witſius, Alexander Roel: *Cum Belgis;*

In *Germania* Illuſtris Baro de Stein, Illuſtris Ezechiel Spanhemius; Ill. Sylveſter Iacobus Dankelmann, Iohannes Duræus, Ioh. Henricus Bilderbekius Coloniæ reſidens, & Urſinus Affines, Martinus & Iohannes Hundii, Iohannes Claubergius, Hadrianus & Rainoldus Pauli, Samuel Andreæ, Arnoldus Mauritius Holtermannus, Conradus Heinius, Iohannes Melchioris, Henricus Horchins, Nicolaus Gurtlerus; ex *Lutheranis* Hermannus Conringius, Samuel Puffendorfius, Calixtus, Menzerus, Molanus, Scultetus; ex Pontificiis Illuſtriſſimus ERNESTUS Haſſiæ Langravius, Illuſtris Baro de Boinenburg, Epiſcopus Tinenſis: *Cum Germanis;*

In *Helvetia*, *Tiguro* Iohan. Henricus Hottingerus, Caſparus & Henricus Schvvizeri, Henricus Zellerus, Iohannes Hegius, Georgius Fueslinus, Rodolphus Eſcherus, Balthaſſar Hanhardus : *Berna*, Bernhardus à Muralto : *Lauſanna* Polierius, Merlatus : *Geneva*, Tronchinus, Legerus : *Baſilea* Lucas Gernlerus, Iohannes Zvvingerus, Petrus Werenſelſius, Buxtorfius : *Schaphuſio* Balthaſſar Pfiſterus, Tobias Hollenderus, Iacobus & Conradus Wepferi, Iohannes Speiſeggerus, Ioh. Adamus Wyſcherus, pluréſque alii. *Cum Helvetiis;*

Cæteros omnes enumerare longum nimis foret. Nam ſcribendis Epiſtolis non minimam vitæ & ſtudiorum ſuorum partem Fabritius conſumpſit. Atque ita facundè, terſè & expreſsè illas ſcripſit, ut Muſæ ipſæ ſcripſiſſe eas credi poſſint, Sed nunc ad ultimum vitæ Fabritii actum, vitæ præteritæ propoſito omni congruentem, & quodammodo anteferendum, me converto. Corpus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

1696. *Corporis Fabritii habitus, valetudo, & invaletudo.*

pus ſortitum erat impar vigori animi, tenuis, uti appellare ſolebat, texturæ; cujus habitus intra proceritatem ſtetit. ſed gravi & verenda facie. Puer valetudine adverſa uſus eſt; ſed virilis ætas fida & firmiore, ad annum ætatis circiter quadrageſimum uſque. Tum enim crudele malum, arthritis, nephritici dolores, & podagra, corpus per ſe debile, tyranni inſtar, vexare, trahere, lancinare. Leniebatur interdum remediis, qualia ſibi ipſe etiam, applicato ad medicam artem animo, ne medicaſtro cuivis confidere neceſſe haberet, providit; malum. ſed ad ingenium idem rediit. Unde ſenſim ille habitum vitioſum contraxit, ex quo fatiſcere tabernaculum, corpus junceum, uti jocabundus inſigniebat, fieri, vires langueſcere, ſpiritus diſſipari, omnia in pejus ire, & retro ſublapſa referri. Inſtabat igitur poſtrema neceſſitas, quam ſic excepit, ut ſummam ejus patientiam, & in corpore febrilibus ardoribus accenſo invulnerabilem animum, faſtidium rerum ſeculi, deſiderium vitæ melioris, dolorem ob noxas humanæ fragilitatis inevitabiles, fiduciam in ſacrificio & deprecatione Chriſti, & ſæpe alacritatem, & os hilare, quaſi jam gaudia ineffabilia prægustans, omnes, qui aderant, admirarentur, & ægrotum confirmaturi & conſolaturi, ultro ab eo confirmarentur, & conſolationes acciperent, verámque adeò, doctore hoc, Thanato-Sophiam diſcerent. Volumen conſcribendum eſſet, ſi ſermones illos, repentinos quidem, ſed omnibus meditatis præſtabiliores, & planè aureos, quos decumbens bonus homo ex bono theſauro cordis effudit, omnes recenſere inſtituerem. Pauca tamen è plurimis, quæ de ejus ſupremis, morbo, ſermonibus & morte mecum teſtes αὐτήκοοι καὶ αὐτόπται benignè communicârunt, delibabo. quæ narrata ſimul venerationem viri mirum in modum augebunt; ſimul in virtutis ſtudio bonos omnes confirmabunt. Nam moribundorum & morientium voces & facta majus ſemper pretium, & ad æmulationis piæ ardorem ſtimulum acriorem habuerunt: digniora proin reliquis omnibus, quæ, velut cedri ſucco illita, poſteritati

Inſtat ei ſuprema neceſſitas.

ſtudio-

ſtudioſiùs conſecrentur. Priús quàm lethalis morbus ingrueret, non tantùm flagrantiſſimum deſiderium ſuum mortalitatem adeò exercitam exuendi, & cum cœleſti & beata immortalitate commutandi teſtatus eſt, ſed etiam, quaſi præſcius fati, chariſſimæ conjugi prædixit: *Tandem ergo ſeparabimur.* Regerenti huic, in Dei arbitrio id omne ſitum eſſe, & teſtari experientiam, haud raró ſanos ægrotantium fata anticipare; reſpondit: *Me quod attinet, ſuperâſſe mihi videor, quæ aliis ſuperanda relinquuntur.* Lethalis morbi principium in diem IV. Ianuarii ſtyli veteris, anni MDCXCVI. incidit. Ferebatur tamen adhuc, magna cum imbecillitate conflictans licet, impetu magno ſtationis ſuæ muneribus fungendi, uti aliâs etiam, quandiu vigebat animus, partes ſibi aſſignatas non depoſuit, licèt corpus labori ægrè reſponderet. Sed cùm vexatæ corporis vires magis magíſque collabaſcerent, dedit precibus amicorum, ut negotiis die XII. Ian. abſtinere inciperet, niſi quòd eodem die ſcribendi ad amicum his ferè verbis initium fecit: *Fortè ultima nunc vice in hac mortalitate ad te ſcribo. Quale futurum ſit commercium ſpirituum noſtrorum à corporibus ſeparatorum, Deus, à cujus omnipotente & optima gubernatione cuncta dependent, novit; cui me totum pleniſſima reſignatione committo. Vitæ meæ ſpiritus paulatim evaneſcunt, & ſimilis jam ſum arbori annoſæ, quæ naturali ſucco deficiente marceſcit. Sed radicem meam in Cœlo fixam habeo.* Plura, ingraveſcente morbo, ſcribere non potuit. Sed de vanitate tamen rerum terreſtrium, & cœleſtium ſtabilitate, gaudióque multa præclarè diſſeruit. Die XIV. Ian. adeò morbus, hemiplexia exaſperatus, invaluit, ut noviſſima adeſſe amici præſentes augurarentur. Ipſe conſolationibus perceptis, ſe Deum conſolationis in pectore ſuo præſentem perſentiſcere, dixit; ſimúlque, quantum vires attritæ ſinebant, afflictiſſimum, quem acerbè lachrymabatur, Eccleſiæ Palatinæ ſtatum, iis, quibus cura ejus incumbebat, præſentibus enixiſſimè commendavit, non ſine bonis ominibus, Omnipotentem Dei manum ſemper victricem ad animum iiſdem graviter

Mortem deſiderat & præſagit.

Morbi lethalis initium.

1697.

Invaleſcente eo conſolationem accipit & reddit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Colligens ſe nonnihil Dei erga ſe beneficia recolit.

revocans. Sequens dies ipſi ſerenior affulſit, adeò ut recuperandæ valetudinis ſpes apparuerit. Tum ille os ſuum reſolvere in gratias Deo agendas, tum quòd ſe à parentibus profugis genitum, inde à pueritia tam clementer protexerit, & ad fortunam indies ampliorem provexerit, adeò ut anno ætatis ſuæ decimo nono Ultrajecti privata inſtitutione vitam, ſine ullis piiſſimæ matris ſumptibus, tolerare, & mox etiam in Gallia luculenta conditione obita rebus ſuis egregiè conſulere ſibi licuerit: tum quòd ejuſdem gratia conjux ſibi commoda, fida & prudens curarum omnium ſocia, atque rerum lætarum adverſarúmque conſors obtigerit. Die XVIII. Ianuarii de rebus literariis diſſeruit. Occaſione ex novellis oblata, Sereniſſimum Angliæ Regem ſapienter Academiæ Cantabrigienſi exprobrâſſe ajebat, quòd Cherlokium docentem, Patres trium priorum ſeculorum myſterium Trinitatis non iiſdem, quibus hodie traditur, terminis explicâſſe, impotenter adeò exagitaverit. Non enim aliter rem ſe habere, & non ſemel ſe juvenem religioni duxiſſe, idem myſterium Scholaſticis, quibus Theologi nonnulli liberiore ſtylo uſi ſunt, terminis exponere, tandémque ſic apud ſemet ipſum calculos ſuos ſubduxiſſe: *Ego myſterium illud docebo, uti ex Scripturis docendum eſt; in cæteris pacis cauſa ſilentio litabo. Myſterium Trinitatis, & Deitatis Chriſti quoad veritatem poſitivam ex doctrina de ſatisfactione ejusdem, & redemptionis pretio optimè didici. Neque Athanaſius, author ſymboli, quòd ſub ejus nomine venditatur, eſt. In Cœlo de myſterio hoc plenior lux nobis affulgebit. In terra verò mens in arctum cogi debet, & ſic myſteria exponenda ſunt, ut inde meliores & pientiores evadamus.* Addebat, Chriſtianam religionem omnium præſtantiſſimam citra omnem dubitationem eſſe; & fieri non poſſe, quin toto animo in illam feratur, & penitus in ea acquieſcat, quisquis eam ſeriò apud ſe expenderit. Sed nonnullos religionem adeò excellentem fœdè corrupiſſe, & in purum Paganiſmum politicum convertiſſe. *O quantam,* ſic exclamabat ille, *in animo meo voluptatem & tranquillitatem*

De rebus literariis, Myſterio Trinitatis, & veritate religionis Chriſtianæ, diſſerit.

tatem

tatem ſentio, quoties genuinam religionem Chriſtianam meditor, & quàm aptè cuncta cohæreant; quàm ſapienter Deus myſteria revelaverit, reputo! Laudabat dein in lectione Scripturæ collationem verſionum, eique Biblia Polyglotta longè feliciùs, quàm Critica ſacra inſervire ajebat. Die XIX. Ianuarii ex ſomno modica corporis, & plena ſpiritus quiete evigilans, canticum Eccleſiaſticum: *In te, Domine, ſperavi,* vernaculo idiomate recitavit; ſimul commemorans, nondum ſe mentis & judicii declinationem ullam, qualis haud dubiè moribundis accidat, perſentiſcere. Denuo igitur de incredibili gaudio vitæ æternæ verba fecit, ex quo de exultante ſpiritus ejus lætitia proclive judicatu fuit. Finito, ingente cum animi geſtientis motu, ſermone; *Confidebam, ajebat, naviculam meam brevi in portu appulſuram; ſed en procellam, quæ eam repellit!* Id provido Numine fieri amici interpretabantur, ut poſtquam plurimos vivens valénsque ædificavit, & exemplo ſuo ad omnigenas virtutes inflammavit, etiam æger corpore amicos ſibi præcentes in Scholam, quæ beatè moriendi artem docet, inſuceret, & tum ſanctiſſimis colloquiis, tum fiduciæ & patientiæ ingentis exemplo ad æmulationis piæ ardorem accenderet. Tum ille ſimul Amyraldi *de ſtatu animæ* poſt mortem libellum, quem ille poſt obitum conjugis ſuæ ſcripſit, & Pleſſæi in Pſal. XC. meditationem vehementer laudavit, dolens, quòd ad manus non eſſent; ſimul narravit, quòd juvenis adhuc Lutetiæ Drelincurtium ægrotos inviſentem ſæpiuſculè comitatus fuerit, ſed poſt, occaſionibus deſtitutus, conſolandi artem non exercuerit. Theologos Pariſienſes Dallæum, Drelincurtium, Meſtrezatium, Falcarium ob raram veriſſimámque pietatem & eruditionem laudibus in Cœlum uſque ferebat. Paulò poſt protenſa manu; *Spectate,* inquiebat, *miſerabile illud animæ meæ ergaſtulum, neque tamen hactenus illud collabitur!* Reſpondentibus amicis, collapſurum domicilium, ſi robuſtiſſimum etiam foret, quàm primùm Deus dixerit: *Revertimini filii hominum,* in pulverem videlicet; ille annuit, & vana

Hymnum recitat, & de mora mortis queritur.

Conſolandi peritos, Gallos inprimis, citat.

Corporis ſui ſtatum deplorat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Scripturæ teſtimonia & hymnos ſibi recitari curat.

vana omnia eſſe, aſſeruit. Mox etiam Scripturæ teſtimonia, ſtatui ſuo convenientia, ſibi prælegi petiit. Quibus prælectis etiam hymnos eccleſiaſticos, inprimis canticum illud ſolatii pleniſſimum: Allein zu dir / Herr Jeſu Chriſt / &c. recitari ſibi curavit. Delectabatur enim hymnis iſtiuſmodi ſupra modum, etiam vegetus adhuc, uti in Genevenſi itinere, in quo uterque jugitur concinebamus, obſervaveram.

Lutheri hymnos laudat, & Euangeliorum diſſidium deplorat.

Eorum plurium, magna cum emphaſi doctis & indoctis conſulentium, authorem Lutherum ſummopere laudabat, deplorans Eccleſiæ infelicitatem, quòd certamina ipſum inter & pios etiam doctiſſimóſque Viros alios agitata, ex doctorum cathedris ad rudis populi, quem δεινὸν κακὸν *grande malum* meritò veteres dixerunt, ſubſellia atque malè compoſita judicia penetrârunt.

Rythmos & Muſicam commendat.

Hanc enim fundi omnis calamitatem eſſe, veriſſimè ſtatuit. Quoad numeros, ſeu rythmos hymnorum, ſæpe ſe miratum ajebat, quæ cauſa illos auribus noſtris ſuaviores redderet. Fortè, inquiebat, Creatori noſtro placuit, ut mens noſtra per ſpiritus animales operetur, & rythmorum ſonus in ſpiritibus ſuavem adeò menti ſonum efficiat. Alleganti amico de Muſica dictum Auguſtini, quod *Confeſſ. lib. IX. 6.* his verbis conſignatum extat: *Quantum flevi in hymnis & Canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex eo æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis*; conſentiebat, addens, Deum in hac vita nobiſcum juxta corporis & animæ noſtræ conditionem agere; in altera verò vita fore, ut beati Muſica excellentiſſima, ſed merè intelligibili, ſeſe oblectent.

Devotioni litans Pſalmos Davidis, & caput VIII. ad Romanos commendat.

Die XX. Ianuarii, morbo creſcente licèt, animus devotionem continuavit. Ipſe hymnorum librum reſerans, vernaculum canticum: Herzlich thut mich erfreuen / &c. quæſivit, & ſibi prælegi expetiit. Eo prælecto totus in admirationem Pſalmorum & hymnorum raptus, magna contentione ſpiritus; *Quanta*, inquiebat, *verborum vis, & emphaſis, quanta ſuavitas, quàm plena ſucci omnia, quibus mens mea*

mirè

mirè demulcetur, afficitur & reficitur! Tum caput Octavum ad Romanos ſibi prælegi curavit, & prælecto eo in hæc verba, elata, quantum poterat, voce, & fervente ſpiritu, erupit: *O vitæ robur & vim in capite hoc latentem! Omnes mundi theſauri cum eo collati, Nihil, Nihil* (Nichts/Nichts) *ſunt. Theologiæ totius nucleus in eo occultatur.* Mox vires corporis colligi ipſi viſas nondum ſecuturæ ſeparationis animæ à corpore ſuo ſuſpicionem ſibi movere quiritabatur, veritus, ne æquo longiore cum morbo ſibi conflictandum ſit. Sed id à timore mortis, quo nullo planè ſe percelli aſſeverabat, proficiſci, penitus negaverat. Quam ἀφοβίαν fructum ſpiritus adoptionis, teſtantis, quòd mors à Deo non ſeparet, ſed cum eo arctiùs conjungat, eſſe, amici ſuggeſſerant. Quis enim Fabritium mortem, à qua omnis natura abhorret, ad cujus vocabulum adeò plerique expaveſcunt, contemnere docuit? Chriſtus, & Spiritus ejus docuit; ille amor ac deliciæ ejus, quem omni vita amavit, coluit, prædicavit, quíque ei in extremis adfuit, morbíque & mortis cruciatum ſuſtulit, *excelſumque ſtitit victorem in Rupe Sionis.* Poſt meridiem, cùm valetudo confirmatior videretur, turbabatur non parum, quòd exiſtimaret, cuncta retro labi, & fugere regionem illam benedictam, quam jam ſibi Deus oſtenderit, ſibique ad priſtinam ſervitutem revertendum. Prompta erat amicorum conſolatio, Deo ſapienti conſtare conſilii ſui cauſas, & Forte illo gloriæ ſuæ inſtrumento ampliùs uti eum conſtituiſſe. Quibus auditis ille reſpondit: *Fiat voluntas Domini! Sed doleret tamen mihi, ſi jam paratiſſimus ad mortem, diutiùs vanitati huic mundi implicarer.* Noctem ſequentem, ferè inſomnem, piis iterum ſermonibus traduxit, atque inter alia de admirabili Dei circa Naſſovicam Domum, ejúsque fata & incrementa, Adolphum Naſſovium, necnon Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem modernum Providentia diſſeruit. Die XXI. illuceſcente querelam repetiit, quòd cuncta retro labi ad ærumnoſam vitam videantur. Timorem equidem mortis, ſi ex φιλαυτίᾳ proveniat, cubare in vitio dixit: & regerenti ami-

Mortem ſe timore negat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

co, charitatem à ſe ipſa incipere, & amorem quendam ſui rectum, qui mortis ἀφοβίαν, & vitæ melioris deſiderium dictet, dari; reſpondit: Utique, dummodo cuncta in Deo terminentur. Sed ratiocinari, inquiebat, ampliùs non libet: & ſatis habeo dicere: *Domine, voluntas tua fiat!*

De cauſa bonitatis rerum diſſerit.

Quærenti ea occaſione: *An res bonæ ſint, quia Deus eas vult, an eas velit, quia bonæ ſint*, reſpondit, non Rheterfortii, prius affirmantis, ſed Cameronis, mediam ſententiam tenentis ſententiam ſibi probari; quædam bona eſſe, quia Deus ea vult: quædam Deum velle, quia natura bona ſunt. laudans inſuper Amyraldi de actionibus moralibus theſes.

Nec non de Socinianis.

Ad *Socinianos* ubi deflexit ſermo, Crellii Ethicam Socinianam puram Philoſophiam moralem eſſe, & Equitis Poloni apologiæ aſtutiſſimæ Coccejum fibulam impoſuiſſe, quando Myſteriis fidei, ad ſolius Scripturæ trutinam potenter exactis, cæcæ rationi altiſſimum ſilentium indixit, ajebat.

De Hugone Grotio.

De Hugone *Grotio*, cujus ſtupendam eruditionem ſemper admiratum ſe profeſſus eſt, narravit, quòd Lutetiæ libros ſuos, per ſex conclavia contigua, in quorum ſingulis libri, papyrus, calamus & atramentum diſpoſita fuerint, obambulans, & meditationes ſuas in conclavi eo, in quo eas ad liquidum perduxit, annotans, compoſuerit.

De Pokoke.

Pokokii, Edmundi Caſtelli & Ligthfooti Scripta Orientalia laudibus vehementer tulit.

De Typis.

De typis vulgarem errorem, quaſi ſola ſimilitudo cum re quapiam, ſine teſtata intentione Spiritus S. eos conſtitueret, correxit. narrans etiam, ſe jam Doctorem & Profeſſorem Theologiæ ab Electore CAROLO LUDOVICO ad rigidius longè, quàm quod paulò ante Lugduni Batavorum ſuſtinuerat, examen, quod per ſpatium dimidii diei in Bibliotheca Electorali extrahebatur, vocatum, interroganti ei, quí, ſe poſito Novo Teſtamento, probaturus ſit, Pſalmũ CX. de Chriſto loqui, ex textus ipſius viſceribus, neque ſine ſudore reſpondiſſe, & Principi ſatisfeciſſe. Ita cum devotione conjunxit ſermones utiliſſimos de literis, quarum amorem noviſſimum exuit.

Nova ejus infirmitas & devotio.

Nox inſequens ardores & obſtructiones infirmo corpori attulit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

lit, quibus cum colluctatus Pſalmum XLII. ſonora voce cecinit, & Pſalmum XXXVIII. ſibi prælegi curavit; quo prælecto ſuas paſſiones longè infra Davidis paſſiones ſubſidere, & tantò in ſuis ſe acquieſcere patientiùs, dixit. Die XXII. Ianuarii exoriente, queſtus eſt de inquieta, quam traduxerit, nocte, & de tentationibus, quibuſcum conflictatus fuerit, ſed non ſine ſenſu irrigui conſolationum fontis, qui in corde ſuo exuberet. *Sperabam*, inquiebat, *finem vitæ miſeræ adeſſe, & gaudio delibutus totus exultabam. Sed nil adhuc promoveo. Nobilis creatura homo eſt, ſed reſpectu certo miſerabilis etiam.* Dies ipſa quietior diffluxit. Tum igitur ei nonnulla Eccleſiam concernentia inciderant, quæ in ſinum Collegæ depoſuit. Veſpera diei ejusdem debiliorem reddidit. Tum ille ex Pſalmo XLII. verſum bis poſitum, atque Germanicè ita ſonantem: Mein Seel / was thuſt du dich kräncken &c. repetens, de variis afflictionum Divinitus ſummiſſarum gradibus, & oppoſitis iisdem conſolationibus efficaciter diſſeruit; ac mox ſibi caput octavum ad Romanos iterum recitari, & ex eodem verba illa delinifica, & ſolatii pleniſſima: *Diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur*; &: *Quis nos ſeparabit ab amore Chriſti*, &c. iterum iterúmque prælegi petiit. Finita lectione capitis, occaſione verſus 16. exclamavit: *O quàm res excellens eſt teſtimonium Spiritus S. in humano corde! In Scholis de eo diſputavi, & cum aliis teſtimonium Spiritus S. internum, externum, abſolutum, reflexum diſtinxi. Cui diſtinctioni veri quid ſubeſt, dummodo ne vel leviter, vel cum Enthuſiaſmi quadam labe exponatur. In ſenſu vivido teſtimonii illius rei cardo omnis vertitur. Ego nunc vividiore longè ſenſu ejus polleo, quàm unquam. Deo ingentes gratias ago, quòd occaſione ad alias etiam Profeſſiones obeundas non deſtitutus, in Profeſſione Theologiæ conſenui. Reliquæ ſcientiæ omnes levis & volucris venti inſtar ſunt. Sola Theologia cor hominis demulcet & recreat. Senſum teſtantis mihi Spiritus tui, Domine, vividum mihi ad finem uſque vitæ conſerva!* Quibus dictis in ſomnum incidit. Eo ſoluto, occaſio de literis diſſerendi oblata eſt, quia oblectari eum vegetiorem colloquiis talibus, amici ani- *De literis, Politia Eccleſiæ Anglicanæ,*

 mad-

Sanderſono, Theologia Caſuiſtica, &c. diſſerit.

madverterant. Ad manum erat libellus de Politia Eccleſiæ Anglianæ, cujus argumentum amici recoluerant. Libellum Fabritius laudavit, & ſimiles Hookeri, alteriusque, per tabulas argumentum exequentis, allegavit. *Sanderſoni* mentionem forte amici fecerant. Eum authorem Fabritius in Theologia Caſuiſtica palmam cæteris omnibus præripuiſſe, ajebat; præclarè admonens, Theologiam Caſuiſticam non ſubtiliter, ſed juxta teſtimonium Scripturæ & conſcientiæ tradi oportere. Subjecit nonnulla de Sanderſoni perſecutione per Presbyterianos mota, ejusdem vita, vocatione ad Epiſcopatum Oxfordienſem, ſub Carolo I. fatis iniquioribus, poſtquam Carolus I. ſuccubuit; παῤῥησία, qua, ſuperſtite, ſed oppreſſo Carolo eodem, quæſtionem, Cromvvello per conſcientiam obediendum ſit, nec ne, pro Cromvvello, Epiſcopalis licet, decidit; denique reſtitutione ejusdem in integrum ſub Carolo II. Nonnulla etiam, recente velut omnium memoria, diſſeruit de Iacobo I. Angliæ Rege, ejus πολυμαθεία, ſcriptis eruditis, Dæmonologia inprimis; de libello curioſo raróque, cui titulus eſt eſt, *Receuil des letres du Roy Jaques*; de Caſaubono, priùs Holtoni nomine inſigni, cujus eruditionem magis quàm pietatem, infra eruditionem ſubſidentem, laudavit; ajens, ſibi in votis ſemper fuiſſe, ut Blondellus potiùs & Salmaſius aliquis, quàm Caſaubonus cum Baronio congrederetur. Die XXIII. Ianuarii vix affulgente, querulas voces repetiit, nondum ex miſerabili hac vita ad Cæleſte gaudium gradum promoveri. Pſalmum dehinc LXII. ſibi prælegi petiit; & ſuaviſſimum, quem vehementer dilexerat, hymnum: Auf meinen lieben Gott/&c. cantantibus, petente eodem, amicis, infirma voce licet, concinuit. Nocte ingruente, paulò viribus valentior, rediit ad ſermones de literis, nonnulla de fratribus Moravis, de communione bonorum, de Nobili de Grodniz, ante quadraginta annos in aula Electorali Palatina hærente, & ibidem verſionem Gallicam Taciti, aliáque adornante, ex viridis memoriæ penu depromens. Sed dilapſa media diei illius nocte adeò vires ejus, laſſo jam

Iterum de mora mortis quiritatur, & devotionem continuat.

De literis diſſerit, & Pſalmorum atque hymnorum recitatione, Scripturaque lectione ſe oblectat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

corpore, fatiſcebant, ut hilari animo hæc in verba eruperit: *Jam mihi videor inſtantem ſeparationem perſentiſcere. Jam finis approximat.* Quibus dictis Pſalmum XLII. repetitiit. Dies XXIV. Ianuarii ejusdem lectione Scripturæ, repetito inprimis capite VIII. ad Romanos, precibus & recitatione, atque cantu hymnorum, Pſalmorum XXIII. LXXX. CIII. & CXXV. & cantici Eccleſiaſtici; *In te, Domine, ſperavi*, &c. nec non occaſione eorundem motis piis colloquiis, exactus eſt. Uxori ſciſcitanti, quí nunc ſe haberet, reſpondit: Optimè haberem, dummodo Deo placeret me diſſolvere. Inſtanti illi, nunquid ſupereſſet, quo animus ejus augeretur; *Quid augeret*, inquiebat, & bis repetebat, *animum cum Deo jam unitum? Hominem*, ita pergebat ille, *ſimilem eſſe arbori inverſæ oportet, cujus radices in Cœlo fixæ ſunt, rami in terra ſe proferunt & hieme marceſcunt.* Optanti uxori optimæ, ut & ipſa arbori tali ſimilis eſſet, ad id ſola integritate coram Deo & hominibus opus eſſe, ſuggeſſit. Cúmque propter inſtantem proximè obitum ejus eandem lachrymas fundentem cerneret, ſolatio tali eam erigebat, Deo curæ ipſam futuram; pergeret modò vitam degere Chriſtiana fœmina dignam. Sequentis diei XXV. decurrentis, eadem fere per preces & hymnos ratio inita eſt. Die XXVI. aggravante licet morbo, de literis nonnulla diſſeruit. Occaſione Diatribæ Capelli de antiquis Hebræorum literis, qui in conſpectu erat, minuendam, ex mente etiam Calvini, Meceri, Druſii & aliorum, controverſiam de authentia textus Samaritani, an Hebraici, monuit. Afferri primum Bibliorum Polyglottorum tomum, & in eodem Hebræum & Samaritanum textum conferri juſſit; atque tum quid ad fidem, quid ad hiſtoriam referendum ſit, diſcrevit. *Fidei* enim eſſe, ut de Scripturæ & cujusvis libri Divinitate ex re ipſa, Divinitus revelata, & conſcientiæ conformi, perſuaſiſſimi ſimus: *Hiſtoriæ* verò, ejúsque veritati deputandum, quo charactere primitus Moſes ſcripſerit, & uter textus Samaritanus, an Hebræus originalis ſit; de quo paucis, & nonniſi eruditiſſimis liquidò conſtare,

Pium cum uxore colloquium.

De Hebræorum literis, Pentateucho Samaritano diſſerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Devotionem continuat, & gaudium ingens teſtatur.

ſaltem Atheiſmi crimine arceſſendos non eſſe, qui Samaritanum textum præferunt, putavit. Circa meridiem diei illius hymnum ſacrum, Herr Gott wir loben dich/ &c. & Litaniam Germanicam ſibi prælegi juſſit. Veſperi amicos ad cantum invitans, ipſe canendi Pſalmum CIII. initium fecit. Quem alias etiam decumbens non ſemel cantaverat, tantæ cum lætitiæ ardore, ac ſi Cœlos apertos, & Chriſtum ad dextram Patris ſedentem videret. Nocte ſera epiſtolam poſteriorem S. Petri ſibi prælegi curavit, & hymnum eccleſiaſticum: Herzlich thut mich verlangen / Nach einem ſeligen Tod/&c. elata iterum voce canendi initium fecit, amicis altiſona voce, dum ipſe ſpiritu concinebat, abſolventibus.

Quiritantem, quòd ore corporis vix ampliùs Deum laudare poſſit, amici conſolantur.

Die XXIII. Ianuarii queri cœperat, adeò vires corporis ſui languere, ut Deum ore corporis laudandi tantùm non impos ſibi videatur. Conſolabantur amici, quòd & ſpiritus ejus caduco corpori incluſus, & robuſtior, quàm nunquam alias, corporis defectum facilè compenſet, & ipſe Spiritus Dei ſuſpiriis ſuis, qualia fari vel ciere nemo poſſit, pro ipſo potenter loquatur & intercedat. Alia etiam conſolationum malagmata adhibebantur. Ipſe verò ſub veſperam, collectis corporis viribus hymnum dulciſſimum, *In dulci jubilo*, &c. nec non alterum illum, Aſcenſionis Chriſti feſto alias ſacrum; Auf diſen Tag bedencken wir/ &c. cantavit.

Conjugi & amicis valedicit, & Eccleſiæ Palatinæ curam iis, quibus incumbit, graviter commendat.

Diebus XXIX. XXX. & XXXI. Ianuarii viribus corporis planè attritis, ſed Spiritu uſque & uſque valentiore, verba plura ſine difficultate magna facere non potuit, niſi quòd fracta & ſumiſſa voce, tum gaudium ſuum ob redemptionem approximantem teſtatus eſt; tum chariſſimis ſuis ultimùm vale dixit. Nam & uxori optimæ gratias ſummas pro integerrima & rara illa, quam durante matrimonio, ſibi præſtiterit, fide gratias egit, eámque, ne deceſſu ſuo nimiùm triſtetur, cùm non ea lege Deus eam ſibi conjunxerit, ut in mundo perpetuam ſecum vitam traduceret; enixè rogavit: denique Divinæ protectioni humiliter commendavit; & ſimilibus verbis penetrantibus amicos præſentes Deo & verbo gratiæ ejus devotè com-

commiſit; eorum inprimis, quibus Eccleſiæ Palatinæ curandæ munus incumbebat, pectoribus, uti antehac primas duntaxat & medias, ita nunc etiam ultimas preces, induſtrios, imperterritos ſe gerant, (Nur vor allen Dingen ſteiff auf Gott geſehen) ante omnia in Deum oculos inconnivos attollant, ei ſoli confidant; de cætero fore, ut fata viam inveniant. *Ego*, ſic ille, *ſuperavi, Deo ſit laus, montem, quem vos ſcanditis. Non deſeret vos Deus, licet adverſa multa vobis forſitan toleranda ſint.* Hæc, ſimiliáque verba ferientia, & ſuprema mandata, velut à patre moribundo, non ſine manantibus fervidis lachrymis, excipiebantur, & quisque officii ſui partibus pro viribus, quas Deus gratioſè imperiturus ſit, functurum ſe ſpopondit. Venerat fortè in urbem Sereniſſimi Electoris Palatini Aulæ Concellarius, Baro de Wieſers, quem ſalutaturo amico in mandatis dedit Fabritius, ſuo nomine ei valediceret, eundémque obnixè rogaret, dignetur Sereniſſimo Electori pro ſe tum humilimas gratias pro Clementiſſimo patrocinio, quo ſe juxta defunctum Sereniſſimum Parentem & Ipſe proſecutus fuerit, rependere; tum eidem ſua morientis devotiſſima pro incolumitate Sereniſſimæ Domus Palatinæ vota teſtari. Reſponſum à Barone, impensè ſibi viri adeò docti, ſapientis, & experientia rerum inclyti, fatum dolere, ejus lethalis morbi dolore non parùm ſe commoveri, & fideliter relaturum Sereniſſimo Electori, quæ moribundus referri cupivit; neque dubitare, quin & ipſe Sereniſſimus Elector viri tam eximii jacturam triſti animo percepturus ſit. Nocte diei illius XXXI. Ianuarii ſera cuncta ad mortem vergebant; Spiritus tamen vigore integro, adeóque pollente, ut amicorum ſuſpiria & preces probè intellectas identidem, collectis extremo nixu viribus, repetitíſque vocibus, *Ita, Amen*, obſignaverit, quin & Pſalmi cujuspiam ſpiritum ejus ad agonem fortiter ſuſtinendum animantis cantum urſerit. quem amici CXLIII. delegerant. Inter canendum oculos manúsque in Cœlum ſuſtulit, quoties verba ſtatui ſuo accommodata deprehendit. Die I. Februarii veteris ſtyli hora

Electori per Primarium ejus Miniſtrum valedicit, & bene precatur.

Morti approximat.

Placidè exſpirat.

hora ſecunda matutina labens, deficiente ſpiritu, & oculos ſibi ipſi claudente moribundo, decretoria & lætabilis illa Fabritio redemptionis, tot votis flagrantiſſimis, tot precicalidiſſimis provocatæ, hora extitit, qua inter amicorum ſuſpiria & vota placidè deſuntus, pretioſum ſpiritus ſui depoſitum Deo, qui illum dederat, anno ætatis ſupra ſexageſimum tertio & dmidio, quinque diebus minùs, exa-

Threnodia. ctò reddidit. Fuit igitur Fabritius, fuit. magnus dolor, magnúmque decus noſtrum, *θαυμάσιον κάρα*, & verè איש חמודות *Vir deſideriorum.* Talem enim tantúmque virum, quantumvis omnibus virtutis & emeritis ſtipendiis maturum, nunquam non Eccleſia, Academia, Reſpublica, con-

Conſolatio-num fontes. jux, amici, docti boníque omnes deſiderabunt. Sed deſiderabunt nempe, ut illi, qui nihil contra fixam æterno decreto voluntatem Dei, contra fas naturæ, legem mortalium, monita ſapientiæ Divinæ & humanæ, ipſiúsque etiam Fabritii ſententiam, quam chariſſimæ conjugi, graviſſimo nunc luctu pœne oppreſſæ, declaravit, deſiderant; atque ſic eum deſiderant, ut ſupremæ felicitatis faſtigium, tandiu flagrantibus votis & deſideriis appetitum, & denique impetratum neutiquam ei invideant, quin potiùs glorioſum triumphum illi toto pectore gratulentur. Abſtulit illum terræ Deus, ſed ſecum, æternæ & ineffabilis gloriæ compotem, & plenum jam Deo, arctiùs longè conjunxit. Abſtulit; ſed diu profectò fruendum conceſſit, quo vix dignus mundus erat, & quem conceſſit, non ut mancipem, ſed ut depoſitum Cœli, quod libero ſanctiſſimæ voluntatis ſuæ nutu repeteret. Abſtulit junceo illo, uti appellare ſolebat, caduco, malè vivo, & cauſario corpore, tot morbis enecto, tot cruciatibus excarnificato exutum, ſed quem ſideribus & æterno lumine veſtit, & cui pro corpore corruptibili glorioſum, potens, ſpirituale quandoque reſtituet; anima interim, ſolutis corporis vinculis, victrice ærumnarum, calumniarum, viciſſitudinum, malorum omnium, quorum iliada in mundo ſuſtinuit, & quibus miſeri mortales circumſeſſi angimur, revolante ad ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

dem ſuam, unde demiſſa & delibata eſt; ubi pax & quies inoffenſa, ubi tranquillitas, ubi lætitia, ubi jucunditas ſolida, ſincera, propria. Abſtulit Eccleſiæ Palatinæ dulce præſidium, & arctis in rebus ſolamen; ſed Verbum & Spiritum ſuum, atque illam πανδαμάτορα, omnipotentem & *victricem omnium* manum, de qua tam magnificè Fabritius loquebatur, nondum ei ſubtraxit, neque ſubtrahet, quandiu defuncti ſupremis hortamentis obſequens, oculos ad eum attollet & ei uni ſolîque confidet, memor ſemper, Eccleſiam non humanis rationibus, ſed Divinis conſiliis, non carnalibus armis, ſed ſpiritualibus, imò nonniſi miraculosè conſervari & protegi. Multi nunc tibi, ô Eccleſia Palatina vidua, atque, in cumulum, veluti malorum, horrens ruinis, dicunt: *Non eſt ſalus tibi in Deo. Quis oſtendet tibi bonum?* Dic tu firma fide: *Et tu Jehova clypeus meus es, gloria mea es, caput meum exaltas. Eleva ſuper me lucem vultus tui, Jehova!* Nemo unus ex te peribit, cujus nomen in libro vitæ ſcriptum eſt. Et plurimos longa pax ejúſque mala enervârunt, efferârunt, & perdiderunt, crux & adverſa mollivêrunt, cicurârunt & ſervârunt. Tibi fidem intemeratam Chriſto probanti dictum puta: *Tecum ero in anguſtiis, liberabo, glorificabo te. Ne timeas, vermis Jacob, viri Iſrael; ego auxiliabor tibi, dixit Jehova, & Redemptor, Sanctus Iſraelis. Sic dixit Creator tuus, ô Jacob, & Formator tuus, ô Iſrael. Ne timeas, quia redemi te; Vocavi nomen tuum.* לי אתה *Meus es tu, & flumina non operient te. Cùm ambulaveris per ignem, non ambureris, nec flamma ardebit in te, quia ego Jehova, Deus tuus. Dixit Sion, dereliquit me Jehova, & Dominus oblitus eſt mei. Numquid obliviſcetur mulier infantis ſui, ita ut non miſereatur filii uteri ſui? Etiam illa obliviſcatur. At ego non obliviſcar tui. Ecce in manibus deſcripſi te.* Perſonent diu noctúque in auribus Tuis voces ſuaviſſimæ Chriſti, *Sancti illius, Veri illius, qui habet clavim Davidis, quo aperiente nemo claudit, & claudente nemo aperit: Novi opera tua. Ecce dedi coram te januam apertam, & nemo illam claudere poteſt. Quoniam exiguam vim habes, & ſermo-*

Apoſtrophe ad Eccleſiam Palatinam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

monem meum obſervaſti, & non abnegaſti nomen meum, &c. *Ego quos diligo, redarguo & caſtigo. Zela igitur, & reſipiſce.* Plenæ Scripturæ oraculis ſimilibus ad conſolationem, ſpem & incitationem maximè prægnantibus ſunt. Etenim Deus Rex Regum ille eſt, & corda Regum Principúmque ſuæ in manus poteſtate habet, eáque, ut rivum aquarum, potenter flectit & derivat, quocunque ei lubet. Illum vide, ſi horum gratia potiri vis. Sic candelabra, ſic vexilla Tua ſtabunt. Volve igitur ſuper Iehovam viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. Fabritium equidem, ingens ex obitu ejus damnum paſſa, per memoriam virtutis ejus, deſiderabis ſemper; ſed Spiritum Dei, donorum in ſucceſſoribus ejus authorem & diribitorem, nunquam. Adhuc enim balſamum illud ſuave & pretioſum chariſmatum Spiritus S. ſummi Sacerdotis noſtri vertici ſine menſura ſuperfuſum, deſcendit ſuper barbam Aharonis, & inde ad ſacræ veſtis limbum, & ſubjecta Eccleſiæ membra penetrat. Abſtulit Fabritium Deus; ſed quicquid ex eo amavimus, quicquid mirati ſumus, manet manſurúmque eſt in animis hominum, æternitate temporum, ſama rerum, atque cœleſtis ingenii fœtibus & perennibus monumentis illis, quæ & ſuperſtes plura edidit, & compoſita ab eodem ſuperſtite poſt mortem ejus propediem lucem aſpicient. Abſtulit denique Eum, ſed ita, uti optamus omnes nos quoque aliquando hinc auferri; & poſt breve tempus cum eodem, abſoluta feliciter mortalitate commigraverimus, recepturis. Hanc enim nobis ſpem confirmat par ſimilíſque fiducia in unico merito noſtri Goëlis, Pontificis in æternum facti IESU, qui præcurſor pro nobis in Cœlum intravit, & ne ablatos infelices judicemus, vel ipſi auferri metuamus, ſuo quemque ordine eodem transferet. Noſtrarum verò partium eſſe meminerimus, tum ut laudem omnem inſignis hujus gloriæ Divinæ organi, ad Dei, omnis boni inexhauſtum fontem, unicè colendum referamus: tum ut gratias immortales eidem perſolvamus, quòd donorum ſalutarium viro illi collatorum uſuram Eccleſiæ conceſſit,

Conſolationis continuatio.

Paræneſis ad laudem Dei, eucharistiam, & imitationem defuncti.

ſit, & in traditis poſteritati monumentis adhuc concedit: tum denique, ut,in quantum conditio uniuscujuſque capit, laudes viri tanti non modò referamus lubentes, ſed etiam,ut cuique fas eſt,imitemur ſtrenuè. Vitam igitur Fabritii ad exemplum degamus piè,degamus prudenter, degamus patienter, Eccleſiæ,Reipublicæ,Patriæ ſerviamus; negotiis,ad quæ legitimè vocati fuerimus,pares nos oſtendamus, & quieta atque indefeſſa cum induſtria parique cum fructu publico præſimus: fortunæ ſive favorem, ſive incerta in occaſionem virtutis vertamus: à Deo nuſquam recedamus: denique ita vitæ hujus mimum tranſigamus, ut mortem ſecurè nobis contemnere liceat. Ita publicè, ita pro ſe quiſque creſcemus, vigebimus, ſtabimus; & timentibus DEUM bene erit in EXTREMIS.

Epilogus, conſtans proſphoneſi ad Ill. Baronem de Stein.

Supereſt, Illuſtris FRIDERICE, BARO DE STEIN, *Domine Gratioſiſſime*,ut obnixè rogem, gratiam facere temeritatis meæ, qua Illuſtre Nomen tuum commentationi huic meæ præſcribere auſus ſum,digneris. Putavi enim facere id non parum ad honorem Fabritii,quem non minùs ſuperſtitem amore ſincero proſecutus es, quàm ille Te ſingulariter coluit & ſuſpexit. Tu Tribus Sereniſſimis Electoribus Palatinis à Secretioribus Conſiliis,ſimul Senatus Eccleſiaſtici Præſes, diu Fabritii latus cinxiſti, & authoritate, conſilio, ope & fide integerrima eundem ſuſtentâſti. Neque quiſquam Te rectiùs novit, quis & quantus vir ille fuerit, cujus prudentiam & conſiliorum maturitatem totiens apud me decantâſti, & cujus à latere ſuo propter valetudinem adverſam divulſi abſentiam adeò graviter illum tuliſſe memini,ut inde omnium ferè rerum faſtidium ei obrepſerit. Tu ergo ſi hiſtoriam defuncti à me ſcriptam probaveris,nemo prudens temerè incuſabit. Nulla porrò tam iniqua, tam immemor poſteritas erit, quæ cætera tua merita & beneficia, quibus valetudine confirmatiore adhuc uſus, Eccleſiam inprimis Palatinam, veriſſimus ejus Nutritius,mactâſti, & quæ Fabritius nunquam prædicare pro merito deſiit, fœda oblivione obliteratura

ſit. & ſi quæ obliterabit, at in Cœlo coram Deo commentarius pro Te ſcriptus eſt. Ego quoque ſic Te viventem colo & diligo, uti magna virtutum & prudentiæ exempla, quæ leguntur, colere par eſt, atque Te vehementer obteſtor, favore Tuo, quo hactenus me immerentem proſecutus es, porrò digneris. Ita Te, *Illuſtris* BARO, DOMINE *Gratioſiſſime*, una cum Conjuge ſanctiſſima, IESUS CHRISTUS bene amet, valetudinem dubiam potenter confirmet & ſuſtentet, faxitque, ut cuncta conſilia, cœpta, facta Tua lœtos felicésque exitus habeant. Interim ſuperſtites Fabritii noſtri, communis amici, memoriam colere non deſinamus, donec noſtræ quoqúe animæ à Supremo Imperatore fluxorum corporum horum vinculis exſolutæ

Patrii repetant rutilantia Cœli
Mœnia, ibique bono, pulchróque fruantur JOVA,
Nullus ubi dolor, aut metus, aut lachrumabile Lethum,
Sed pax & ſecura quies, & pura voluptas,
Et ſine nocte dies, vero de lumine lumen.

Vale, ILLUSTRIS MECOENAS, & longùm ſalve.
Scribebam TIGURI, Helvetiorum Metropoli, die
XVI. April. A.C. MDCXCVII.

MAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

MANTISSA
HISTORIÆ PRÆCEDENTIS.
Ad Lectorem.

Laudari à Principibus, & quidem diverſarum partium viris, non ultima laus eſt. Cùm igitur poſt exaratam demum Hiſtoriam vitæ & obitus Ioh. Ludovici Fabritii *in manus meas inciderit Laudatio Ejuſdem, à Sereniſſimo Principe, Landgravio Haſſiæ, ERNESTO, jam A.* MDCLXXXIX. *quo Fabritium fato defunctum, incerto rumore deceptus, credidit, Gallico idiomate inſtituta, religioni duxi eam, Latinè ab amico converſam, non repræſentare Memoriæ & Nominis Fabritii cultori. Nam & confirmari iſthac narratione Hiſtoriam à me contextam, exceptis circumſtantiis nonnullis incertis, & facilè Principi Viro, gravioribus curis diſtricto, condonandis: & non parum ex Principali calamo & judicio laudis exiſtimationiſque Fabritio aſtrui, facilè mecum omnes, qui legere dignabuntur, reputabunt. Vale Lector Benevole, & his quoque fruere.*

De Obitu
CELEB. D. FABRITII.
Die $\frac{16.}{26.}$ Novembris A. 1689. mortui.

IL eſtoit, autant que je le ſçay, natif de Zurich en Suiſſe, & ainſi né & eſlevé en la Religion de ſon Pays c'eſt à dire à la Zuinglienne & Calviniſte. Il eſtoit fort homme de bien & bien

ORiundus erat, quantum quidem mihi conſtat, Tiguro Helvetiorum, atque ita natus & educatus in cultu patriæ ſuæ, id eſt, Zuinglii & Calvini. Vir

morigeré, marié & beaufrere de Mr. le Reſident de Bilderbek à Cologne. Je ne l'ay connu qu'à Francfurt, Schvvalbach, & à Heidelberg, ou il eſtoit Docteur & Profeſſeur en Theologie, & meſme preſchoit par fois, au moins à la Cour. C'eſtoit un homme aſſeurement fort ſçavant és Controverſes & d'un bel eſprit, de taille mediocre, fort civil, & ſur tout tresdiſcret & moderé. Avec cela fort politique & retenu, & qui penſoit plus qu'il ne diſoit. Il a eſté apres fait Conſeiller Conſiſtorial du Palatinat & c'eſtoit le bras autant de l'Electeur Charles Loüis, comme de ſon Fils & Succeſſeur l'Electeur Charles, & qui plus eſt & par deſſus cela, eſt venu aſſés en la confidence de l'Electeur moderne Catholique.

omnino probus erat & bonis moribus conſpicuus: in matrimonio vixerat, erátque D. Bilderbekii, Coloniæ Agrippinæ Reſidentis, affinis. Non alibi ipſum cognovi quàm Francofurti, Scvvalbachii & Heidelbergæ, ubi Theologiæ Doctor & Profeſſor fuit, & nonnunquam concionabatur, ſaltem in Aula. Vir ſanè in controverſiis erat valdè eruditus, ingenii egregii, mediocris ſtaturæ, urbanus omninò, diſcretiſſimus inprimis, & moderatus. Præterea politicus erat magnus, & arcani retinens, ut qui plura volveret animo, quàm verbis exprimeret. Factus poſtea ConſiliariusConſiſtorialis Palatinus, & brachium, ſeu ſummæ auctoritatis apud Electorem Carolum Ludovicum & Filium Succeſſorem ejus, Electorem Carolum, &, quod plus eſt, & ſupra illud, interioris etiam admiſſionis apud Electorem hodiernum Catholicum.

Et comme DIEU avoit quaſi envoyé ce perſonage au temps de la ſucceſſion de cet Electeur Catholique: auſſi s'eſt il bien ſervi de ſa politique, pour

Quemadmodum etiam DEUS Virum hunc quaſi miſerat tempore ſucceſſionis Electoris hujus Catholici: ita quoque uſus eſt artibus

d'un

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

d'un coſté ne deſobliger ni degouter ſon Maiſtre l'Electeur Catholique, & de l'autre coſté pourtant ne donner ſujet de defiance ni de plainte de ſa trop molle conduite en telle conjoncture des affaires: ou auſſi bien il s'agiſſoit de l'introduction, au moins, en quelque façon de la Religion Catholique en ſes Eſtats, qui eſtoit autrement un poinct fort delicat, & qui autrement & en diverſes veües auroit pû facilement commettre par enſemble les Electeurs & Princes de Brandebourg, Braunſuic, & de Heſſe Caſſel avec ledit Electeur Catholique, comme Garants du Traitté de Hall en Suabe.

ſuis politicis, ne vel ex una parte Principem ſuum, Electorem Catholicum, offenderet, vel ex altera ullam diffidentiæ anſam, aut conquerendi locum daret, ob remiſſiorem agendi modum, eo negotiorum tempore, quo agebatur de introductione aliqua Religionis Catholicæ in ipſius Terras. id quod ardui valde erat moliminis, & quod aliâs, & diverſo reſpectu Electores & Principes Brandenburgicos, Lunæburgicos, & Haſſo Caſſellanos, ceu Pacificationis Hallenſis apud Suevos Fidejuſſores, cum dicto Electore Catholico facilè committere potuiſſet.

Bien qu'autant des quelques Catholiques, (mais ceux là mal inſtruits & mal informés de Controverſes & des affaires de Religion) il ait eſté cru de beaucoup pancher de noſtre coſté, neantmoins je ne me le ſçaurois perſuader, que contre l'inſtinct de ſa conſcience il ait ainſi voulu ſimuler & faire l'hypocrite, comme qu'il ait voulu trahir les intereſts de ſa Religion, ains je crois qu'il ſeroit mort ſur le ſens figuré en l'Eucharistie, &

Quamvis quidam Catholici, in controverſiis, & rebus Religionem concernentibus parùm inſtructi & malè informati, ipſum in partes noſtras proniorem & propenſiorem crederent: ego tamen iſthuc ut credam, induci non poſſum, nec ſuſpicor, ipſum contra dictamen conſcientiæ ſuæ ita ſimulare aut hypocritam agere voluiſſe, ut Religionis ſuæ cauſam pro-

pour d'autres articles ſemblables de Controverſes.

Au reſte, c'eſtoit un perſonnage qui ſçavoit ſe comporter, afin que par enſemble au moins en une tranquillité Civile & Politique on pût vivre paiſiblement.

Auſſi ne vît on pas, que quand les plus apparents Miniſtres d'Eſtat Lutheriens de cet Electeur Catholique, aſſavoir le Comte de Caſtel, & les Barons de Stein Calenfels & de Degenfeld ſe vouloient prevaloir, pour faire autant bonne bouche aux Catholiques, comme tout enſemble donner un coup fourré aux Reformés ou Calviniſtes, à l'occaſion de la 80. queſtion du Catechiſme de Heidelberg, en laquelle, comme on ſçait, on dit tant & de ſi grand mal de la S. Meſſe, & que partant on croyoit, que l'Electeur Catholique, ſelon le Droit Epiſcopal le pourroit faire rayer dudit Catechîſme: qu'eſt ce, di-je, qu'il ne fit? aſſavoir, que fort adroitement en un certain petit imprimé, il fit voir, que Luther & les ſiens, avoient dit tout au-

dere ſuſtinuiſſet; verùm ipſum in ſenſu figurato Euchariſtiæ, & aliis con ſimilibus articulis controverſis defunctum eſſe, planè credo.

Cæterùm vir erat omnium horarum, ita rebus conſulere gnarus, ut utræque partes in tranquillitate ſaltem civili & politica, vitam quietam unà exigere poſſent.

Cùm magnæ dignationis Miniſtri Lutherani Electoris Catholici, Comes nempe Caſtellanus, & Barones à Stein-Calenfels, & à Degenfeld, eò invaleſcere vellent, ut tum Catholicis blandirentur, tum clandeſtinis ictibus Reformatos, ſeu Calviniſtas foderent, idq; occaſione octogeſimæ in Catecheſi Heidelbergenſi quæſtionis, in qua, ut notum eſt, tantum mali de S. Miſſa dicitur, adeóque Elector Catholicus pro jure ſuo Epiſcopali illud è Catechiſmo ſublaturus & deleturus crederetur; quid tum Fabritius egit? In libello quodam typis vulgato dextrè admodum demonſtravit, Lutherum & ejus aſſeclas tantundem, & plus etiam

tant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

tant de mal & d'outrageux de la Meſſe, que jamais ont fait & font les Reformés, & que, ſi au commencement de la Reforme au Palatinat il s'eût trouvé & pû prevoir les ſuites, qu'aſſûrement, bien qu'il ne croyoit de la Meſſe, ce que nous en croyons, que neantmoins il auroit de tout ſon pouvoir empeſché tels, ſans neceſſité, ni utilité, termes exotiques & chocants.

mali & injuriarum in Miſſam effutiviſſe, quàm fecerint unquam, aut adhuc faciant Reformati; & ſi in ipſo Reformationis Palatinæ initio ipſe interfuiſſet, & quid fuiſſet inſecuturum, prævidiſſet, omnem ſanè operam navaturum ſe fuiſſe, ne citra neceſſitatem & utilitatem tales termini exotici & offendentes infererentur. quamvis de Miſſa non crederet ea, quæ nos credimus.

C'eſtoit enfin un homme fort paiſible, adroit & accommodable, d'un bon raiſonnement & de grande experience, bien ſçavant tant en Langue Hebraique comme Grec, & qui n'avoit rien de pedant ni de Miniſtre en ſoy, & du-quel on ſe pouvoit meſme pour l'Eſtat Politique tresbien ſervir, il alloit meſme vetu comme un de nos Abbés & non comme Miniſtre ou Predicant.

Vir denique erat valde pacificus, dexteritate & æquanimitate pollens, ſolida cum ratione loquens, miræ experientiæ; Linguæ Hebraicæ & Græcæ omnino gnarus, cujus ſcientia nec pedantiſmum ſapiebat, nec Miniſtrum; cujuſque officia etiam ad ſtatûs Politici negotia optimè impendi poterant. Veſtitus erat inſtar alicujus apud nos Abbatis, nòn juxta cultum Miniſtri cujuſpiam, aut Prædicantis.

Il a eſté d'aucuns de ſes envieux fort taxé & blaſmé, comme s'il n'eut avec aſſés de vigueur & de force reſiſté à l'Electeur Charles Loüis, pour ſon en effect non autre que Concubinage avec la Baronne de De-

Ab invidis quibusdam ſuis malè audivit, acritérque reprehenſus fuit, ac ſi non ea, quâ par fuiſſet, virtute ac animi vehementia reſtitiſſet Electori Carolo Ludovico, in Concubinatus ſui, qualis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

genfeld, avec laquelle cet Electeur pretendoit juſtement, comme mon Biſayeul, le Landgrave Philippe, eſtre en une legitime Polygamie avec ſa ſeconde femme, & que meſme dans le Sermon funebre, qu'il a fait de cette Dame, en la nouvelle Egliſe, ainſi nommeé de la Concorde à Manheim, il ait traité cette matiere aſſés à l'avantage de la Polygamie: mais hauſſant les eſpaules & montrant la Corruption & deſordre du Siecle, autant comme univerſel, & comme de tous coſtés on ne voyoit aux Cours & familles des Rois, que de Baſtards, il vouloit tout autant dire, que luy n'en pouvoit, & quò nos fata trahunt, ſequamur. Et comment s'en eſt on pû prendre plus mal à luy ſeul, qu'à tant de Cardinaux, Evêques, Abbés & Eccleſiaſtiques des noſtres, qui ont fait de grandes & bien ſoûmiſes reverences à des Valieres, Monteſpans & Fontanges?

Il a beaucoup, juſques à de

revera fuit, cum Baroniſſa Degenfeldia, negotio, cum qua Elector hic, quemadmodum proavus meus Philippus Landgravius, contendebat legitimam eſſe, ceu cum poſteriore uxore, Polygamiam; & ac ſi in ipſa Oratione funebri, defunctæ huic matronæ in Templo novo Concordiæ Manhemii habita, materiam hanc ita tractâſſet, ac ſi Polygamiæ plus æquo faveret; imò quòd elatis humeris, & obtentu corruptionis & confuſionis hujus Seculi tantum non univerſalis, cùm paſſim in Aulis & familiis Regiis aliud nihil quàm ſpurios & nothos videre eſſet, veluti conceſſerit, malo huic non ſupereſſe medelam, & quò fata trahant retrahantque, ſequendum. Et certè quo jure, qua ratione Fabritius ſolus reprehendi potuit potiùs, quàm tot Cardinales, Epiſcopi, Abbates & Clerici apud nos, qui ad infimas obteſtationes procumbentes, flexis poplitibus, ſummis honoribus Valieras, Monteſpanas, & Fontangelas proſecuti ſunt?

Hinc ab anno multa, ad *gran-*

grandes perſecutions ſouffertes, depuis une annee en deça des François à Heidelberg, ce qui a ſans doute avancé ſa mort, de laquelle je ſouhaitterois qu'avec edification il l'eut faite pluſtot au ſein de noſtre ſainte Mere l'Egliſe Catholique, Apoſtolique & Romaine, que non parmi le Corps ſi desjoint du Proteſtantiſme. Au moins ne peut on douter, qu'il n'ait ſçeu, ou qu'il ne pouvoit ſçavoir ce qu'il devoit ſçavoir. Cependant c'eſt grand dommage de la perte d'un tel homme capable. Car bien que je ne ſçache ſon age ſi preciſement, neantmoins je ne crois pas, qn'il ait eſté au moins loing de ſoixante & il portoit une perruque à l'Abbé.

diras uſque perſecutiones, à Gallis Heidelbergæ perpeſſus eſt. id quod procul dubio fatũ ejus acceleravit. Quod utinam cum ædificatione in gremio potiùs ſanctæ Matris noſtræ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ, quàm in corpore tam disjuncto Proteſtantiſmi, expleviſſet! Dubitari ſaltem non poteſt, quin ſciverit aut ſcire potuerit id, quod ſcire debuit. Intèrea jactura tanti Viri, támque rebus arduis idonei, magnopere dolenda eſt. Quamvis enim ætas ejus tam præciſè mihi nota non ſit, haut procul tamen à ſexageſimo ætatis anno ipſum abſuiſſe crediderim. Caliendrum, quale Abbates noſtri ferre ſolent, caput ejus tegebat.

C'eſtoit enfin un homme, qui en un Traitté de Paix ou de Convention entre diverſes Puiſſances de contraire Religion, eſtoit en eſtat de pouvoir beaucoup contribuer à bien s'entendre & à trouver des expedients pour pouvoir au moins politiquement & Civilement vivre par enſemble, & à s'abſtenir de toute rigueur & termes d'une ou d'autre maniere choquants. Car

Quod ſupereſt, Vir erat, qui in tractanda pace vel conventione aliqua inter Principes Religionis contrariæ multum præſtare potuit, ut mentes ipſorum coaleſcerent. Suppeditare etiam valuit affatim ea media, eóſque conſulendi modos, quibus ſaltem politicè & civiliter unà pacificè vivendi ratio conſtaret, qua ab omni

eſtoit tout à fait doux & traittable & point contentieux, & c'eſt pourquoy, comme deja & par cy devant on a remarqué, que tout autant des Catholiques comme des Proteſtants autant paſſionés, comme neantmoins en effet ſouvant tres ignorants & inexperts, il eſtoit crü, comme ſi avec ſincerité il n'eſtoit pas de ſa religion, en quoy neantmoins tels, faute de s'entendre à ſa conduite, ſe trompoyent bien fort, puis que toute autre choſe eſt de reconnoiſtre tant auprés de chaque coſté ou parti le foible, & à ne point ſoutenir ce qu'en un ou autre egard n'eſt pas ſoutenable, & autre choſe eſt, que pour cela on ſoit un Athée, Libertin ou indifferent.

amaritie, verbíſque uno alióve modo aculeatis abſtineretur. Erat enim planè manſuetus & tractabilis; procul habebat contentionis aut rixarum pruriginem. Hinc, ut ſupra jam notatum, æquè à Catholicis ac Proteſtantibus, qui ſuis indulgebant affectibus, interim tamen re ipſa plerunque rerum planè inſcii & imperiti maximè erant, traducebatur, ac ſi parum ſincerè Religioni ſuæ eſſet addictus. Qua in re tamen ex imperitia & ignorantia ingenii ejus, agendíque rationis, illi toto Cœlo aberrabant; ſiquidem longè aliud eſt uniuscujuſque partium defectus & infirmitatem nôſſe, & non defendere velle ea, quæ uno alteróve reſpectu defendi non poſſunt: aliud verò eſſe Atheum, Libertinum, aut indifferentem.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
381 E 19